AURUM SAPIENTUM,

SIVE

ARS, SINE SCELERE, & CUM VIRTUTE, DITESCENDI.

AUTORE R. P. JACOBO MASENIO Societ. JESU.

Editio altera locupletior.

Coloniæ Ubiorum.
Apud WILHELMUM FRIESSEM, ſub Signo S. Gabrielis Archangeli.
Anno 1661.

FACULTAS R.P. V. PROVINCIALIS.

Ego infrascriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris præpositus Vice Provincialis, potestate mihi ab Adm. R. P. N. Goswino Nickel Soc. JESU Præpos. Generali facta, facultatem do Wilhelmo Friessem excudendi libellum Aurum sapientum à P. Jacobo Masenio jam ante editum, sed nunc auctum, perque deputatos ad hoc censores approbatum. In cujus rei fidem hasce manu mea & consueto Officii sigillo munitas dedi Coloniæ an. 1661. 17. Julii.

Godefridus Otterstedt
manu prop.

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI, S. Rom. Imperii Principi, & Comiti Pyrmontensi &c. Domino meo clementissimo.

QVod Superi bene vertant, patriæque ac Tibi, celsissime **Princeps**, *felix faustumque esse jubeant, sede Episcopali, cælo terrâque, sereno vultu, lætisque vocibus applaudente, receptus es.* Nec *desunt popularis argumenta gaudii, hinc effusæ ad videndum humanissimum* Principem *turba, inde latè affluens ad salutandum nobilitas: hinc, excitata per urbem basilicasque honoris monumenta, inde publicæ gratulationes æri incisæ typisque permansuris æternitati mandatæ. Quæ dum à variis, non modò*

Diœceſios Paderanæ incolis, verùm accolis exterisq́ nationib. ingenti favore, ad Tanti Principis nomen dignitatemque, excitatis agitantur: mihi etiam ſymbolum aliquod ad publicam communemque lætitiæ ſignificationem adferre cupienti, literarium hoc munuſculum, quod de Auro Sapientum, *rudi quondam Minerva elaboratum, nunc excultum diſertius, ad Chriſtiani populi emolumentum producturus eram, bene ominatis applaudentium vocibus inſerere, & felicibus inſulati Principis auſpiciis placuit conſecrare; ne in tot aliorum congratulantium vocibus, benevolentiſſimo jam olim devotus Principi inter publicos obmutuiſſe plauſus, inter ſynchariſtia, ſine omni munere comparuiſſe videar. Illud equidem non diffiteor. Nihil dignum Principis oculis, in omni artium ſcientiarumque genere perſpicaciſſimis, nihil tanto par faſtigio, his chartarum involucris obtegi; pretium tamen aliquod, & illuſtre gratumque mortalibus* Auri *ac* Sapientiæ *nomen, &*

pul-

pulcherrima imago Propatrui, hac eadem Episcopali in sede quondam Præsulis Principisque laudatißimi, conciliare poterit. Quo inprimis argumento reor hoc Tuæ Cels.[di] *deberi opusculum, quod inter sacras lucubrationes meo primum inscriptum nomine publicæ luci indulgeo, postquam ab humaniori tantisper literatura animum sevocavi.*

Enimverò nihil admodum in toto me sentio tractatu de sapienti usu divitiarum, earumque vel augmento in colligendo, vel fructu in expendendo, adeò rarum excellensque artificium prosecutum esse, quod non suis propemodum lineamentis in magno patruo, tanquam in vivæ hujus artis imagine, expressum reperiam. Vt hic quidem disertius prosequi non lubet, statim tamen in hujus dissertationis meæ vestibulo, nobilißimi herois istius velut insigne suffigere atque exhibere visum est. Neque *enim toto opere exemplum ad rem nostram sese offert illustrius, quodque præsenti etiamnum multorum hominum memoriæ,*

moria, magis emineret, percelleretque eodem felicitatis adspirantium animos. Ut hoc, tanquam ideam artis nostræ, brevi in tabella primò intuentium oculis placuerit objicere, simulque in tali operis probare imagine: nemini illius magis consecrationem competere, quam Tibi, ex eodem sanguine, non minori sapientiæ ac felicitatis spe, in eandem dignitatem succedenti. Non immorabor hic perspectis in Te dotibus, singularique cùm doctrinæ, tum virtuti, cujus experimento jam Romanis Germanisque omnibus, his ornamentis honoris dignus judicaris. Neque enim ago encomiasten, quando hoc aliis persuadere necesse non est, quod omnes credunt; Tuæ verò Cels.di eadem fusius exponere, leges perspectæ vetant modestiæ, quæ magis digna laudibus agere satagit, quàm audire.

Neque hortatorem me accedere, hac commendatione, vel satis convenit, vel etiam necesse est, cum illa exspectatione aliorum, illa mentis pietatisque jam à teneris annis ad hanc ætatem firmata robore ad

hos

hos succedas honores, ut (quod ajunt proclive) mores non facilè inclinaturus videaris, atque ab impreßis jam paßim sapientiæ humanæ divinæque vestigiis abiturus. Non sinent Majores Tui, quos ab antiquißima retro Oldenburgicorum *censes familia. Non patietur ille* Tibi *eodem ex sanguine, eadem in infula ac dignitate ante oculos positus* Princeps Theodorus. *Non ferent recentis piæque memoriæ parentes, quorum spectata paßim virtus integritasque deviare prohibet. Non sustinebit, quæ in conspectu oculisque multorum cum laude versatur, nobilißima fratrum adhuc superstitum corona.* Non *ipsæ denique anteactæ rationes vitæ, quibus supremi in orbe Princ'pis* Alexandri VII. *Sapientißimi sanctißimique* Iudicis *arbitrio probatus es. non hæc inquam, vel singula, vel universa permittent, ut ab ardua excelsaque virtutum semita, inter humanæ gloriæ felicitatisque oblectamenta, immemor Tui, Tuorumque deflectas, & præclarißimum de Te conceptum* Christiani *orbis fallas*

*. 4 judi-

judicium : Themistoclem generosi pectoris juvenem Miltiadis trophæa quiescere non ante patiebantur, quam æmulatione similis gloriæ virtutisque, jam non impar Miltiadi staret Themistocles, & sua quoque à nobilissimis victoriis trophæa censeret. Nisi me vel fugiunt, vel decipiunt generosi pectoris Tui inflammatæque mentis ad eximium decus ignes, nihil humile atque impar, seu priscæ gentis honoribus, seu vivacis etiamnum famæ Theodoris molleris, ut vincas potius, quàm vincaris cum Themistocle curæ futurum est. Posteris non obviam protritamque scribendi materiem relicturus. Crescet Tuis auspiciis studiorum honos, patriæ felicitas; Ecclesiarum decus, tam gratus subjectis populis, quam eidem Tibi. Pauperes in Te solatium, religiosi subsidium, cives patrocinium, Ecclesiastici exemplum, omnes fidele protectoris munus amplectentur; ut communibus demum subditorum Tuorum suffragiis, gaudente terra, ac cœlo applaudente,

dente, novus patriæ pater, ex Furstenbergica familia postliminiò, velut in patruo redivivo, natus in orbem videaris. Ita vovet speratque

Celsitudinis vestræ

Humillimus in Christo servus

JACOBUS MASENIUS

Brevis

Brevis IDEA, seu INTRODUCTIO

AD AVRVM SAPIENTVM feliciter augendum & impendendum, in laudatissimo æternâque memoriâ dignissimo Episcopo ac Principe Paderbornensi

THEODORO à FVRSTENBERG

adumbrata, & in exemplum proposita.

In ipso dissertationis nostræ aditu, quam de Auro Sapientum, seu laudabili divitiarum usu, profectuque instituimus, Magni ex domo Furstenbergica Principis, vivam quandam imaginem, quamvis rudibus lineamentis, perbrevique in tabella ad umbratam, exhibeo. laudatissimi illa herois est THEODORI à Furstenberg ad Paderam hujus seculi exordio Principis atque Episcopi, quem suo ex sanguine censet propatruum, nunc ad pedum infulamque admissus FERDINANDUS non degener à Majoribus nepos. In hoc vno Principe artem propemodum vniversam Auri rectè tractandi reperias. In sat tenuem longisque calamitatibus exhaustum ille Episcopatum admissus, anno superioris ætatis 1585. brevi illum

illum: non tantùm ære liberavit alieno, sed etiam ditavit proprio, tanta felicitate & solertia, tanto rerum temporumque compendio, ut admirationi exteris, subditis & venerationi summæ esset, & amori. Neque enim usitatis quorundā institit artibus, per quas, obluctante mundo cœloque, ad opum incrementa conituntur; sed iis, quas potissimum in hoc Tractatu prosequor, viis prosperè expeditéque ad summam contendit opulentiam. Quâ deinde pauperes, religionem, Ecclesiam, universamque patriam recreavit, hostes terruit, suisque dimovit à finibus, fideles amicos solatus est, artium scientiarumque proculcatum honorem excitavit, jacentem pietatis erexit auxitque cultum, pacem quietemque subditis, decus sibi suisque æterni nominis comparavit. Jam Te video, mi Lector, anhelare, ut intelligas, quâ id potissimum via ac ratione sit assecutus.

Tangere illam hic possum, explicare, nisi toto libri volumine, non possum. Faciam tamen quod non illepidus pictor, qui gigantem in tabula minus commensa magnitudine jussus depingere, solum in illa exhibuit pedem, ad cujus majorem digitum Pygmæum constituit hominem, qui, admotâ ulnâ illius quantitatem exploraret.

Digitum igitur mihi, aut pedem ex gigante hoc nostro proposuisse suffecerit, ut discamus, tanquam ex ungue Leonem.

Prima ratio ac fundamentum affluentis opulentiæ, celsissimi viri fuit, singularis in Deum fontem autoremque bonorum omnium confidentia, qui æternis providentiæ divinæ legibus statuit, nunquam sibi fidentem destituere. Legerit utique illud regii Psalmistæ scitum, *Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.* a Sed nec Christum hujus promissi fidejussorem fallere posse existimavit, dum inquit: *Quærite primum regnum Dei, & cetera omnia adjicientur vobis.* b Et certè ratio ipsa sapientissimum ad hoc virum instruebat, cum *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum sit, descendens à patre luminum.* c Quocirca adeò felicem Diœcesis Paderanæ, multis difficultatibus pressæ & alieno ære gravatæ, curam suscepit; ut postquam disciplinæ Ecclesiasticæ pro viribus consuluisset, onus ingens debitorum brevi tempore, idque ex redditibus Episcopalibus levaret. Quod etiamnum repertæ rationes testantur, quibus 79893. & $3\frac{1}{2}$. imperialium dalerorum, expunxit, subditosque ære suo in libertatem vendicavit.

Neque

a *Ps.* 36. *v.* 3. b *Matth.* 6. *v.* 33. c *Isai.* 1. *v.* 33.

Neque satis sibi hac patriæ oppressæ redemptione fecisse est visus: ad hoc deinde omni solertia incubuit, ut eandem quantum posset, in sacris juxta profanisque locupletaret. Quocirca de Universitate Studiorum illic ad totius patriæ & religionis emolumentum excitanda sollicitus, egregio illud, quà opere, quà liberalitate ad immortalis famæ memoriam & Furstenbergicæ Familiæ gloriam est assecutus: Gymnasium itaque & humaniori disciplinæ in virtutum artiumq; liberaliū cultu tradendæ, ac Philosophicis Theologicisque scientiis publicâ institutione docendis idoneum Societatis Jesu Patribus attribuit. Quod ut perpetua administrare iidem cura possent, munificâ Collegium, suis erectum sumptibus, fundatione instruxit, æternoque cùm Societatem Jesu, tùm Padebornensem Diœcesin vicinasque regiones, quibus labor illius impenditur, beneficio devinxit.

Ad devotionem erga Venerabile Eucharistiæ Sacramentum, divinique hujus cultus honorem amplificandum, tria & viginti Imperalium dalerorum impendit millia, quorum proventus annuos, in præsentium per octavam illius solennitatis Canonicorum usus convertit. Nec Deiparæ Virginis impensius colendæ immemor, ad illius veneratio-

nerationem promovendam, supra duodecim insumpsit eorundem Imperialium millia. Sparsas hic locis beneficiisque diversis fundationes & Sacella, ad cultum Dei Sanctorumque extollendum non memoro; quod mihi propositum non sit, pro dignitate singula prosequi, sed non ignoranti patriæ eorum tantùm recordationem subjicere, quæ ad inclyti Nepotis *Ferdinandi*, Sedem Propatrui hoc tempore quo hæc scribo, adeuntis conspectum, non ingratum erit, meminisse. Neque his describendis fusius immorari necesse est, cum pleraque hujus seculi gesta, in præsenti multorum, illis adhuc annis superstitum, memoria reponantur. Posteritati, ut spes est, locupletiorem de illis rebus disserendi materiem, junctus Proavis Nepos suppeditabit.

Jam quemadmodum is, qui cum clave gladium sumpserat, cum pedo sociaverat virgam populi moderatricem; non tantùm Ecclesiæ, sed & politicæ Reip. ad egregiam disciplinam ornamentumque, magnis auri argentiq; impensis prospexerit, pari etiamnum recordatione, & monumentis, lapide marmoribusque firmatis, tenetur. Duas illius ingenio, ære, lapidibusque arces Principe viro dignas, & secuturis post se, eadem in dignitate Principibus servituras, exsurgere

vidimus;

vidimus,Neuhäusium & Wevelsburgium: atque illud quidem horæ unius itinere Paderana ab urbe, amœnissimo in confluentia Luppiæ, Paderæ, & Alisonis loco extructum. quod pro sede principali hactenus incolitur, ut citra tanti viri memoriam, huc ad quietem concedere venturi Principes nequeant,quæ tantò illustrior est,quantò præsentiorem non opum tantùm, sed & Virtutum Heroicarum imaginem in Furstenbergiis proponit. Reliqua, vel ex ruderibus ad egregiam novitatem excitata, vel ex fundamentis educta per patriam opera, exiles hæ tabulæ nostræ, & rudis tantum præcipuorum monumentorum delineatio non admittunt. Hoc dixisse satis sit,admirationi hunc Principem omnibus, non popularibus tantùm, sed & exteris latè circum fuisse nationibus: unde videlicet ex Diœcesi jam enervata, ex tributis admodum moderatis,in media penè rerum omnium penuria, hic repentè Princeps ad tantas opes, & plenum ferè semper, inter maximas impensas, ærarium, emergere potuerit. Ut cujus nemo ante divitias nosset, cujus vires ad pacem bellumque despiceret, hic subitò formidandus hostibus, amicis esset exoptandus. Quare dum ad facilem sapientemque auri comparationem, dignúmque mortales usum

sum instruo, illius nobis Principis vitæ institutum aliquantò propius erit inspiciendum: ut œconomi ex illo imperiti discant; periti etiam magis erudiantur. Neque enim ipsius vulgaris ad opulentiam profectus est, quem multi assequantur: Fundamentum, ex insigni erga Deum, ejusque providentiam fiducia, ut cujus promissa nunquam fallant, jam ante collocavi. Nunc qua illi arte superstruxerit videndum est.

Altera ratio, qua illustrissimus hic Princeps ad ingentes opes ab inopia emersit, domestica sobrietas fuit & parsimonia. Nihil quod talem deceret Episcopum Principemque sibi deesse sordidè passus est, delicias apparatumque nimium semper est aversatus: ne qui aliis temperantiæ moderationisque leges daturus esset, ipse ignoraret. necessitati tamen dignitatique ita consultum ibat, ut hospitalis liberalisque mensa adventanti amico deesse nunquam videretur. Illa aulicæ superbiæ, & profusionis alimenta, quæ profanorum magis, quam Ecclesiasticorum Principum referrent indolem, magnisque solum impensis, nullo Principum emolumento sustinentur, procul submovebat. Frugalis illi vita, & ad modestiam disciplinamque ac gravitatem Episcopo dignã comparata erat, quæ cum effusis prodigè

divitiis

divitijs nullum vitiis nutrimentum, gemina calamitate animæ fortunarumque; suppeditaret. Vnde luxum, inutilemque ad superflua profusionem ferre non poterat, ex qua præsentem opum virtutisque cladem cerneret emanare. Non illepidum eius rei exemplum vulgato multorum sermone hodiedum circumfertur. Magnum ipse Principem, insigni nobilitate stipatum domi hospitem exceperat. Cumque illi, qui ex comitatu aderant, post mensam ambulatorijs sese vitris ad vinum largius invitarent, nonnemo bibendi impar, ut respondere ex æquo videretur, reliquias libati ex poculo vini per fenestrā, cui innitebatur, effūdebat. Quod cū Prin. Theod. animadvertisset, misit ex ministris qui hospiti significarēt, *sibi quidē tantum domi vini esse, quo convivas expleret; at quantum arcis foveis implendis faceret, tantum non esse, huic igitur labori parceret.* Non immemor illius exhortationis vixit, quâ Paulus Timotheum Titumque Episcopos ad frugalis vitæ parsimoniam instruxit. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, hospitalem, non vinolentum, domui suæ bene præpositum. Siquis enim domui suæ præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* d Noluit igitur in helluonum tabernam Episcopalem aulam commutari;

mutari;

d 1. *Tim.* 3.

mutari; ne ex aulâ malè neglectâ hospites discerent, quis esse in principatu administrando videretur. Noverat priscorum axioma etiamnum obtinere: *magnum vectigal parsimonia.*

Tertia ratio erat ministrorum probitas, & fidelitas consiliariorum. Primùm quidem in felici aula est Princeps sapiens est. Nam ut Euripedes

Mens una sapiens, plurium vincit manus.

Sed proximum est, virorum sapientium niti consilijs, auxilijsque. Sapientissimus mortalium fuit, qui asseruit *Qui sapiens est, audit consilia* e Salustij gentilis hominis voces sunt. *Omnia, regna, civitates, nationes usque eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuere.* f Optima autem consilia apud probos integræque vitæ homines reposita sunt. Siquidem ceteri plerique consilia Principum ex privatæ utilitatis momentis ponderant, atque ad illa persuadenda ingeniosi sunt, quibus res suas potius, quàm Principis auctum iri prospiciunt. Quare Iethro socer Moysi, Israelitico iam populo cum summa autoritate præposito, consulit: *provide tibi de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit*

e *Proverb.* 21. v. 15.
f *De rep. ordin.*

ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex iis, qui iudicent populum g Vtramque requirit dotem, ſapientiam, & timorem Domini: altera ſine alterius adminiculo dos non ſufficit. In horum delectu perſpicaciſſimus erat Paderanus Antiſtes. Noverat quibus ſuam ipſe conſcientiam & occulta crederet; quos in conſilium viros, iam ætate, experientia, doctrina ac virtute probatos adhiberet; qui ærarij rationes, cenſusque tributarios, quaque moderatione & exciperent, & diſpenſarent. His alterum ita commodabat oculum; ut neque illorum libertati totum indulgere, neque prudentiæ integritatique prorſus videretur diffidere: quare, neque per iniuriam facilè pecunia à ſubiectis extorta eſt, neque per incuriam neglecta.

Et verò non tam multis, quàm fidelibus ſibi miniſtris utendum credidit. comitatus non ad longam magnificamque inſtructus pompam, cùm innocentiam amoremque ſubditorum firmiſſimam eſſe corporis ſentiret cuſtodiam, quodque in illius luxum ſuperfluum impenditur, gravioribus patriæ Eccleſiæque commodis malè ſubtractum cenſeatur. Dignus tamen, cùm res ferret, Principe comitatus ex Vaſallis, & patria nobilitate

g *Exod.* 18. *v.* 21.

bilitate affluebat ad obsequium, spontaneâ plerumque singulorum evocatorum magnificentiâ gloriosum. Quæ res quantùm opibus viribusque, in omnem necessitatem promptis, adiecerit, illi Principes docere nos possunt, qui cùm in aula nimium splenderent, in ærario sunt extenuati, majori non raro apud sapientes in despectu, quàm apud desipientes in honore. Vespasiani Imperatoris, juxta Dionem, pronuntiatum est, *Nervos imperij pecuniam esse*. Hos qui in sua administratione Princeps temere profundit, suæ nescit dignitati, quæ in robore principatus magis est, quàm asseclarum multitudine, ex æquo consulere.

Quarta ratio erat profligatorum hominum castigatio, eorumque, qui rempublicam hæresi factiosorum hominum turbabant, tempestiva submotio. Magni Principis Theodosij voces sunt. *h Inter ceteras solicitudines, quas amor publicus pervigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ maiestatis curam esse perspeximus, veræ religionis indaginem: cujus cultum si tenere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis*. Pacis quidem, ut erat Theodorus semper amantissimus, ita pacis artibus

h *In Novel. de Iudicibus*.

bus opes potissimùm cumulari, bello exhauriri non ignorabat. Verùm cum sensim per irrepentem hæresin subditos ad rebellionem armari comperisset, belli æqui rationes, præ iniqua pace amplecti maluit. Unde hoc illi familiare distichon,

Arma procul jaceant, tamen est fas sumere bellum,
Quando aliter pacis non licet arte frui.

Brevi igitur opum dispendio, magnum rursus ad res augendas fecit compendium, armis repentè adversus turbulentos patriæ cives, & insidiosas vicinorum machinationes correptis. Non difficile erat Principi habere militem, cui promptam sufficiebat opem locuples ærarium; ita bello celeriter confecto, rebelles in obsequio subditos, vicinos in timore insidiatores continuit, suãque ex composita rursum diœcesi, solitoque redituum proventu messem collegit.

Quinta ratio erat amor insignis Principis ergà subjectos sibi populos, quorum se totum commodis usibusque impendebat, nec tam sibi thesaurizabat, quàm suis: ut pulcherrimo amoris lusu, non alio colligere opes fine videretur, quàm ut, ipse domi abstinens, in patriç denuo emolumentum profunderet, quæque exigua minutimque divisa ex singulis collegisset beneficia, hæc ingenti

genti opere præclaroque totius Reip. atque Ecclesiæ commodo, in publicum studiorum ac religionis cultum rependeret. Quo tam munifici consilio ac propensione animi hoc meritus est; ut non minori subditorum amore coleretur. Hi ut patrem, ille ut filios complectebatur, ac dulce certamen erat, utra pars vinceret atque ad ornandam excolendamque alteram plurimum conferret. Hinc magna ex utraque parte in alteram ad augendas fortunas omnes profluxit utilitas. Rectè Ambrosius de mutuis inter regentē rectosque beneficiis; *nihil*, inquit, *tam utile, quàm diligi, nihil tam inutile, quàm non amari.* l Unde & illud tam rarum atque illustre Reverendissimi Capituli decretum promanavit, quo sententiis omnium, exemplo illic incognito, *Pater patriæ* est appellatus. Tantum est opibus rectè Principem ad multorum salutem abundare, atque uti didicisse.

Sexta est ratio, quam breviter hic tantum propono, atque inferius suis ex fundamentis latius prosequar, liberalitas Principis in pauperes & singularis eleemosynarum cura. Hanc velut præcipuam ultimo in præsidio augendarum opum colloco; quòd nulla facilius cumulatiusque arte aurum, cum

l *De offic. c. 19.*

cum ingenti fenore, rependi existimem; quàm ista profusione. Ipse hujus rei lucu-lentissimum experimentum se habuisse, Princeps testatus, his sæpius verbis, est: *Nulla* inquit *mihi pecunia uberiores in censu proventus attulit, quàm quæ in manibus pauperum fuit collocata.* Quocirca ejus rei tam singularem curam gessit, ut suæ prius mensæ cibos inferri vetuerit, quàm denis hominibus secretiorem domi suæ penuriam sustinentibus diurna ex alimento sustentatio delata esset. Duodecim quoque aliis ejuscemodi penuriæ compertis, annua fundatione provisum erat, quos sacro indies missæ officio interesse voluit, Deumque pro totius patriæ bono obtestari. Præter hos ingens quotidie pauperum turba principalem aulam obsidebat, quæ honestam hinc stipem semper referret. Religiosique viri erant, qui binis in hebdomade diebus necessarium ab aula victum deportabant. Interea illud Sedulii m verum esse Princeps didicit: *Pecunia quæ sub vilissima etiam pauperis forma Christo probatur impensa, detrimentis augetur, spargendo servatur, perit, ut maneat.*

His veluti passibus inclytus Princeps ad insignem non minus opulentiam, quàm virtutem,

m *In oper. 4. pasch.*

virtutem, ad immortalem sui nominis in terris gloriam, & in cœlis præstantissimorum operum coronam incessit. Cujus si quisquam in externis opibus felicitatem ambiat, ille imitationẽ non aversetur suæ, in qua vivit, conditioni idoneam: nec minus, illum spes ac res destituet, quâ experiatur, *diligentibus Deum, omnia in bonum cooperari.* n illudque merebitur Venusini Vatis audire carmen,

Dii tibi divitias dederunt, artemq; fruendi.

n *Rom.* 8, v. 28.

AVRVM SAPIENTVM ARS

Facile, & ſine ſcelere, diteſcendi.

Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, &c. Matth. II.

NOn te fallam, Chriſtiane Lector, de opibus temporalibus tecum mihi res erit. Docebo artem viamque facilè&, (quod ſpectandum maximè) ſine noxa etiam divitias acquirendi. Polliceor fide ſancta, certam atque indubitatam me tibi viam aperturum, ac, ne quid cauſeris, etiam perfacilem. Obteſtor verò te, atque in ipſo inſtructionis limine adjuro, ne progrediaris, niſi ante deliberatum habeas, ſanctèque juraveris; veritatem, ubi illam cum tuo emolumento conjunctam compereris, te omnino ſecuturum. Contra ſi feceris, non ad fructum aliquem; ſed graviſſimum tuum in-

commodum, atque æternæ salutis periculum quæ trado accepturus es. *Ille enim servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* (*a*) Ethnicorũ hominũ testimonia consulto nonnunquam adhibui, ut intelligeres, quam conformia rationi traderentur, cum alia his lux nulla affulserit.

a *Luc.* 12 47.

QUÆSTIO. I.

Quid sint divitiæ, & quanti facienda illæ, quæ superflua sunt, quanti necessaria.

RESpondet Sapientissimus mortalium. *Divitias nihil esse* (*a*) *duxi.* Itane vero? Quis hoc satis credat etiam Salomoni, præsertim, cum ejusdem alibi pronuntiatum sit. *Pecuniæ obediunt omnia?* (*b*) Ergone nihil ille sit auri splendor, purpuræ nitor, gemmarum fulgor, quo tot oculi tenentur, tot capiuntur animi? Igitur falsus ille vates, qui cecinit,

—— Uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus & formam, Regina Pecunia donat.

Enimvero nimis experimur certum esse quod alius.

In pretio pretium nunc est, dat census honores
Census amicitias. Pauper ubiq; jacet. (*d*)

Nun-

a *Sap.* 7. 8. b *Eccl.* 10. 9. c *Horat.* d *Ovid.*

Nunquid & ipse Sapiens fallitur cum inquit, *Divitiæ addunt amicos plurimos; à paupere autem, & hi quos habuit, separantur: multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.* (a) *Dives locutus est & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt, quis est hic* (b) Unde hæc rerum pretia? amicitiæ vincula? honor & observantia? tanta loquendi autoritas, ac sermonis dignitas in despectis cetera hominibus? Audiamus Bionem. *Quemadmodum vilia Deum marsupia etsi nullius pretij fuerint, tanti tamen æstimantur, quantũ in se numismatis continent; ita divites etiam homines, vani & nihili, bonorum, quæ possident æstimatione ac pretio fruuntur.* (c) Constat tamen sibi Salomon, atque alibi non minus apertè divitem improbum his verbis arguit. *Est quasi dives cum nihil habeat* (d) Nimirum illam optimi parentis David lectionem non ignorabat. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* (e) Ita sentiunt potentissimi illi Reges, tot opum possessores, tot regnorum Domini. Ille inprimis Sapientiæ Divinæ humanæq; Princeps, qui *magnificatus est super omnes Reges terræ divitiis* f quid pau-

a *Prov* 19.46. b *Eccl.*13.28. c *Stob.ser.*89. d *Prov.*13,7. e *Ps.*38.6. f 2.*Paral*,9.

eorum bonorum heres, quid parvæ molis censusque possessor, quid angusti ærarij dispensator Regulas de suis statuet opibus, si tanti Reges Cræso quovis opulentiores, nihil se possedisse existiment? Interroga illum divitijs affluentem, elatumque regni potentia Nabuchodonosorem, quid divitem ac potentem hominem esse censeat? *omnes* (demisse agnoscit) *habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt.* (f) Interroga Balthasarem, regias inter epulas, inter convivas & optimates templi opibus, vanâ ostentatione abutentem, quanti Superis, & ipse, & opulentus ille apparatus fuerit? cujus ponderis ac momenti? respondebit fatalis Scripturæ interpres Daniel, Thecel. *Appẽsus es in statera & inventus es minus habens.* (a) Interroga illum denique Sybaritam inter congestas opes molliter acquiescentem, sibique hisce verbis stultè blandientem. *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare. Dixit autem illi Deus. stulte hac nocte repetent animam tuam, & quæ parasti cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat & non est in Deum Dives.* (b) Nimirum: *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, & nihil inve-*

(f) *Dan.* 32. (a) *Dan.* 5. 27. (b) *Luc.* 12. 19.

invenerunt in manibus suis.(a) Neque adeo hæc nova videbuntur, si ad veram rationis lancem expendantur. In quem obsecro vitæ usum aurum gemmæque? cui bono, si opinionem hominum sustuleris? Signatum olim de pecudibus corium pecuniæ, & nomen, & pretium dedit. Par illi cum auro facultas, minor hominum aviditas, necessitatis magis, quàm luxus avaritiæque inventum. Nihil igitur à corio aurum, nisi sola hominum æstimatione mutatâ differt. Fuere, ac fortè etiamnum sunt homines, quales Ortelius celeberrimus Geographus vidisse se memorat,(b) qui mortuorum ossibus pecuniæ loco uterentur. Forte ut meminissent, hoc tanquam viatico instructos, per vitam sese ad mortis ostia contendere. Similis hæc pecunia illi Semiramidis thesauro, quem moriens ad sepulcrum transtulit. Suo hæc monumento inscribi voluit.(c) *Quisquis Regum pecunia eguerit, tantum hinc capiat quantum potest.* Provocatus spe latentis thesauri, Darius Rex lapidem amolitus est, sed repertum præter ossa nihil. Hanc solam in aversi saxi parte epigraphen legit: *nisi homo nequam & inexplebilis esses, mortuorum ossa non violares.* Placuerint alijs ossa; Darius nihil se invenisse

a Ps. 75. 6. *b* in Theat. orbis *c* Plut. in apoph.

doluit. quantumcunque opum cumulaveris ad sepulchrum nihil transferes: non magis quam ille Asiæ terror Ægyptiorum Sultan, Saladinus: qui moriturus per castra interulam mortualem cum hac præconis voce circumferri jussit. *Hoc restat ex victore orientis* prætereaque ex tanto regno opibusq; nihil. (a) *Dives cum dormierit nihil secum auferet, aperiet oculos suos & nihil inveniet.* (b) Multi sunt qui tunc primum aperient oculos cum in morte incipient claudere: multorum vox illa futura est (heu sera nimium vox!) *Ergo erravimus, quid enim nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tanquam umbra.* (c) Umbræ fuerunt, umbræ, clamabitis: ubi *justitiæ lumen illuxerit vobis.* Suo igitur nũc pede hanc umbram metimini, componite cum præsentibus atq; etiam futuris, illa quæ aut possidetis, aut desideratis, & suum ex cõparatione innotescet pretiũ. Ita Alcibiadis contractam ex opibus arrogantiam correxit Socrates, (d) suspensa erat geographica ex muro tabula orbem terrarum complexa, in illa Atticam sibi ostendi voluit, quâ repertâ patrios jussit fundus inquirere: cum nihil reperisset.

Et

a *Bergamensis lib.* 12. b *Iob.* 27. 19. c *Sap.* 5. d *Ælian. lib.* 3. *de var. hist.*

Ergone, inquit, Socrates illis te effers possessionibus, quarum nulla hic quidem memoria? Quantula orbis portio, quam tu, mi lector, aut speras, aut possides? an vel ũbra illi⁹ in tabulis? Et verò fac esse, fac te orbem totũ imperio complexum. (*a*) *Quid prodest homini si orbem universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur?* Fac etiam sine salutis discrimine te possidere omnia. Nihil erunt si cum eis comparentur *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, Deus* vero *præparavit diligentibus se* (*b*) Sic igitur si sapis, ac tuæ saluti consulis, cum Apostolo conclude *Omnia arbitrabor ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* (*c*) Regula hęc est quæ non fallit. OPES superbæ TIBI NIHIL SUNT; cum eis non magis utaris, quam quas non habes: NECESSARIÆ TANTI SUNT, QUÃTI EST CORPUS ALERE, nulli enim præterquã corpori sustentando serviunt. Miraris quod ego qui ad opes facili arte parãdas te ducere constitui, à divitiarum contemptu ordiar, ut dissuadere jam ante videar, quam viam ad opes ostendere. Sed fucum non faciã quo promisi ducã, modo ne graveris attenta mente, quæ trado, admittere. Ars hæc ad sũmas divitias perveniendi suos habet circuit⁹ per quos tan-

a *Matt.*16.26. b 1.*Cor.*29. c *Philip.*3.8.

tanquam munitissima quædam arx, est occupanda. Erit cum me planius tecum agentem intelliges, atque, ut spero veritate etiam perspectâ amabis. Primus ille ad divitias comparandas gradus est illas posse contemnere. Parthorum hic more pugnandum est, cedendo vinces, & cum fugere opes videberis, fugiendo occupabis.

QUÆSTIO II.

Quæ divitiarum mensura potissimum appetenda sit?

PAuci quibus persuasum sit malum divitias esse: cum à Deo profectæ sint, & multis sint malis avertendis idoneæ. Nam *benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.* (a) *Et redemptio animi viri divitiæ suæ qui autem pauper est afflictionem non sustinet.* (b) Nonne divitiæ amicos conciliant? *Etiam proximo suo pauper odiosus erit, amici vero divitum multi.* (c) Nonne præmium virtutis habentur? *corona sapientum divitiæ eorum.* (d) Verum absit virtutis laus, solæ commendabunt opes.

Quam quisque dives quæritur, non quam bonus.

Doctri-

(a) *Prov.* 10.22. (b) *Prov.* 13.8. (c) *Prov.* 14. 20. (d) *Prov.* 14 24.

Doctrina & scientia & ars omnis desit, sufficiunt opes.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris ibis Homere foras.

Non magno hæc ego labore persuaserim, verum ab incepto revocat, oratione magis disertâ Sapiens, dum suo ipse voto tam paupertatem, quam divitias aversatur. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Quæ verò hujus tam novi causa desiderij? audi atque intimis admitte sensibus: *ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* (*b*) Verissimus omnino vates, & sapientior ad malum prævidendum, quam ad declinandum cautior. Ille etenim tot possessionum dominus, quas Deus adjecerat postulatæ Sapientiæ, nondum contentus est ultro delatis, quibus *nemo fuerat similis illi in cunctis regibus* (*b*) *coacervavit sibi argentum, & aurum, & substantias Regum, & Provinciarum.* (*c*) adeo ut & apud filium Roboamum subditi tributorum fessi onere quererentur. *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis, tu itaque nunc minue paululum de*

(a) *Prov.* 30. 8. (b) 3. *Reg.* 3. 13. (c) *Eccl.* 28.

imperio patris durissimo (*a*) Ita dum plurima possideret, ambierat plurima. Sed ut solet, abundantiâ ad luxum luxuriamq; usus, humana divinaq; jura pessumdedit, ut factus Idolorũ cultor sui jam reus Judicij diceret, *Quis est Dominus?* Quis non tremat, non horrescat dum Sapientissimi etiam mortalium solis opibus ad amentiam vertuntur? Nimis verè Chrysostomus: *Divitiarum sequela luxuria est, ita intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisque rationabilis motus.* (*b*) Neque Ethnicum id hominem latuit, *quod divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia, invehant.* (*c*) Quare statuendum cum Ecclesiast. *Nihil iniquius quam amare pecuniã, hic enim & animam suã venalẽ habet.* (*d*) Turpissimus sanè atq; infelix quæstus cũ lucri gratia animam prodigo, & breve emolumentum æternis luo incendijs.

Neque paupertatem ab omni absolvo crimine, siquidem *divitia & paupertas, antiqui & magni Reip. morbi sunt.* (*e*) *Et, ut turpe est beatam vitam in auro & argento reponere, sic æquè turpe est in aqua & polenta* (*f*) Divina etiã sen-

a 3. *Reg.* 12. 4. b *Lib.* 1. *Nemo læditur.* c *Livius l* 1. *dec.* 1. d *Eccl.* 10. 10. e *Plutarch. in Lycurgo.* f *Seneca epist.* 11.

ſententiâ malum eſt egeſtas, cum impiorum pœna ſit: *Egeſtas à Domino in domo impij; habitacula autem iuſtorum benedicentur.* a *Inſidiæ* inquit Leo Pontifex: *ſunt in diuitiarum amplitudine; inſidiæ in paupertatis anguſtiis; illæ eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelã; tentat ſanitas, tentat infirmitas; & illa eſt materia negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ: laqueus eſt in ſecuritate, laqueus in timore: nec intereſt utrũ animus qui terreno tenetur affectu gaudiis occupetur, an curis: cum par morbus ſit vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſolicitudine laborare* b Nullibi tutum ſatis laqueos ubiq; tã in copia, quam inopia poſuit veterator Sathan, ut mirum non ſit D. Antonium in contẽplatione mundi cœleſti luce illuſtratum, omnia laqueis obſepta vidiſſe, atque ad Deum ſtupentem exclamaſſe. *Domine quis euadet?* c Ille ut his ſeſe expediret laqueis diuitiarum nudus Chriſtum ſecutus eſt. Mille alij poſtquam omnia in pauperes effudiſſent, læti exclamarunt, *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* d Multi in tenuitate opum innocentes & recti, poſtquam in arca aurum collegiſſent, amiſe-

a *Prov* 3.33. b *Leo in ſer. de verbis Dom.*
c *Surius in vita.* d *Pſal.* 123,7.

runt innocentiam. *In laqueo quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* (a) hamus, laqueusque divitiæ sunt, quibus Diabolus captat. nam *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli* (b) Nec paucos reperias quos illaqueet indigentia, multi mortalium restim nunquam collo induerent, nisi suadente inopia furto latrociniisque suam alerent, aliorum sæpe abrumperent vitam. Exemplis opus non est, cum sint quotidiana, & furcæ passim doceant. Judas ut res privatas exigua augeret peculiola Christum vendidit, & *abiens ex laqueo se suspendit.* Merito igitur luget Jeremias, cum suæ domus urbisque vastitatem intueretur. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis tuæ* (c) Misera facies & spoliatæ urbis, & opulentæ erat inopia, ad omne scelus invitabat, inopia ad extremum squalorem abjiciebat. Belisario summo exercitus sub Justiniano Imperatori nimiæ opes, & potentia ad ruinam profuêre, cum æmulorum non ferret invidiam: extrema vero in cæcitate paupertas coegit, etiam obulum mendicato corrogare. (d) Sigismundus Imperator & indigentiam aversabatur, & cumu-

mu-

(a) *Psal.* 9.16. (b) *Timot.* 6. (c) *Thren.* 3 (d) *Pontanus lib.* 2. *c.* 8. *de fortid.*

mulatas opes, quadraginta ducatorum millia ex Hungaria sua in arca collegerat, quorum curâ dum intentus animus nocturnam ægrius quietem admitteret, jussit media nocte adesse aulicos, partitisque in illos pecuniis hos somni turbatores aufferre jussit.(a) Pauci cum Jobo tam opes quam egestatem summam æquo animo pertulêre. Pauci inter indigentiam cum Tobia soliciti, ne quid furtivum in domum transferretur. Felicissimus ille qui inter utrumque hunc vitæ humanæ scopulum ita incederet medius, ut dum charybdim egestatis devitaret, in scyllam opum affluentiam non impingeret. Sapientis omnino viri oratio est. *mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Qui hanc probat sequiturque affectionem, alijs omnino præceptis non indiget aut certè debilem ad hanc artem animum allaturus est. *Necessaria nobis passim parata sunt, ad superflua laboramus.* (b) Qui igitur cum Apostolo dicere non poterit, *Scio abundare & penuriam pati.* (c) Et, *quis nos separabit à charitate & certus sum quia neque altitudo neque profundum,* (d) elatæ scilicet, ac de-

A 7

a *Æneas Syl. in com. Alphonsi* R. l. 4. b *Trismegistus Asclep. c.* 14. c *Phil,* 4. 12. d *Rom.* 8.

depressæ fortunæ: ille oratione Sapientis, & rebus ad victum necessarijs acquiescat, dum præsidijs monitisq; robustioribus firmetur. Interea hanc regulam sequatur. TAM EGESTATEM HONESTO LABORE DECLINANDAM ESSE, QUAM NON SPECTANDAM ABUNDANTIAM, Pericula enim ultro accersenda non sunt, satis erit oblata superasse.

QUÆSTIO III.

In quo consistat rectus divitiarum usus?

DIvitiæ ut gladius tractandæ sunt, non manu pueri, ut inter spinas rosæ: nam pungũt frequenter, ut scorpius captandæ: nã caudâ, & exitu, plerumq; infelici feriunt. Preclaro sunt equo similes, freno rationis ac prudentiæ indigent. Bonæ sunt divitiæ si in animosas prudentesq; manus incidant. *Magnus ille est*, Seneca ait, *qui fictilibus sic utitur quemadmodum argento; nec minor ille, qui sic argento utitur quemadmodum fictilibus, infirmi est animi pati non posse divitias. a* Vis scire cui divitiæ conveniant? *Bona est substantia, cui non est peccatũ in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij. b* Contrà verò *Ignis in domo impij thesauri iniquitatis. c* & *Va vobis di-*

a *Epist. 5. ad Lucil.* b *Eccl. 31. 30.* c *Mich. 6.*

divitibus, quia habetis consolationem vestram. a Rectè Basilius. *Quatenus divitiæ suos possessores bonos non efficiũt, eatenus non sunt habẽda in bonis.* b Quid igitur consilij? David afferet. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* c Fac divitias habeas, quas in tuã aliorũq; necessitatem potius dividas, quã thesaurũ in arca repositum. *Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum?* d Meministine histor. quam de S. Antonio Paduano annales referunt? e Ille in exequijs usurarij ad confertam populi concionem verba facturus, postquam, ut erat vir sanctæ pietatis fervorisque plenus, illorum felicitatem infelici plerumq; absolvi exitu docuisset, qui cor terrenis potius, quam cœlestibus opib⁹ affixêre. divina quadam luce zeloq; animatus *Mortuus*, exclamat *hic dives est ac sepultus in inferno*, ite protinus atq; illius scrutamini thesaurum, cor defuncti in illo repertum, enuntiatæ veritatis testimoniũ dabit. Attoniti parentes, atq; amici, exploratũ quãto ocyus discedũt, & cor hominis etiãnũ calens palpitansq; in medio nummorũ acervo reperiunt. *Divitiæ si affluãt, nolite cor apponere.* Infelix negotiatio quæ hoc exitu absolvitur. *Filioli*, Christus inquit, *quam*

a *Luc.* 6. 26. b *Orat.* 14. *de div.* c *Ps.* 61. 11. d *Matt.* 6. 21. e *Sur. Iun.* 13.

quam difficile est confidentem in pecuniis in regnum Dei introire! facilius est Camelum per foramen acus transire. (a) Qui ad opes à Deo cor transferunt, rarò illud recipiunt: excordes inter opes manent. Aliud longè David á Deo precatur. *inclina cor meum in testimonia & non in avaritiam.* (b) Quid ita tantine res periculi amare pecuniam? respondet Siracides, *qui aurum diligit, non justificabitur.* (c) Nec minus obscure in Evangelio Christus. *Nemo servus potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet; non potestis Deo servire & Mammonæ.* O quam pauci has æternæ Sapientiæ voces ad animum admittunt! *Audiebant* (pergit Evangelista) *omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* (d) Vident Euclíones, rident & Epulones, sed Deus quoque *in interitu illorum ridebit.* Veneramur hos in seculo divites, hos observamus, felicesque ac beatos dicimus. *Deus autem novit corda eorum, quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum.* (e) Non fulgor vestium, non comitatus satellitum, non byssus ac purpura divitem illum Helluonem commendare

re

a. *Marc.* 10. 24. b *Ps.* 118. c *Eccl.* 31. 8. d *Luc*, 16 13. e *Ibid.* 15.

re Deo poterant, inter centones, ulcera canesque Lazarus placuit.

Quisquis igitur ad divitias facili arte parandas aspiras, hoc tibi persuadeas velim. *Non potes Deo simul servire & Mammonæ.* Quid vero inquies, quo me ergo vertam: neque divitijs carere possum, neque Deo velim. Audi, si meo utaris consilio, possidebis utrumque. Pecunijs imperare te volo, servire Deo: nam

Imperat, aut servit collecta Pecunia cuiq;. a

Expedita res est, modo Pecunia tibi, tu Deo servias; tu illi, Deus tibi imperet. Ne ut veteri adagio fertur *Pecunia vir sis.* Themistocles pro nubili virgine malebat *virum indigentem pecunia, quam pecuniam viro.*

Si tibi Regina Pecunia imperat, si cupiditate illius tanquam compedibus tenêris, frustra dicis: *quia dives sum & locupletatus & nullius egeo: nescis enim quia tu es miser, & miserabilis, & pauper.* (*b*) Infelicissimi mortalium sunt, qui affectu divitiarum ad quævis agenda patiendaque abjiciuntur, opum mancipia, quibus malo consilio *cor suum apposuerunt. Si cœlum non fert duos soles nec regnum duos Reges* patitur ut quondam Alexander Dario regni dimidium offerenti respon-

a *Hor. l. 1. ep. 11.* b *Apocal. 3. 17.*

spondit, quomodo tu *cor* Mammonæ emancipatum Deo simul appones. Audies sanè illud Prophetæ *coãgustatũ est* (cordis) *stratum, ita ut alter decidat, & palliũ breve utrũq; operire non potest.* a Eligendũ igitur: utri cor adjicere, utri servire velis, Deo an Mammonæ? Mille illi nominibus obligaris, huic nullo. Debes illi ut creatori, debes ut redemptori. *Totum quod es illi debes, à quo totum habes.* Pergo cum Bernardo loqui: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro refecto, & pro refecto hoc modo? in primo opere me mihi dedit, in secundo opere se, & ubi se mihi dedit, me mihi reddidit?* b Debes illi ut summo Imperatori cujus edictũ est. *Ego Dominus, hoc est nomen meũ, gloriã meã alteri non dabo* c debes denique, ut parenti filius observantiã. Debita hæc verum suavis est servitus: longè diversa ab ea de qua Chrysostom. *servitus Pecuniarũ omni tyrannide est pejor, laqueus apud Apostolũ, vos disruptis, vinculis laqueo pro filito.* d Stulti estis qui vos, obligatâ cupiditate, tã vili creaturæ submittitis, qui vendicati estis in libertatem filiorum Dei. Audite Ethnicum hominem Senecam. *Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio.*

a Vis

a *Isa.* 28 20. b *Bern. de quadr. debito* c *Isa.* 42. 8. d *Homil* 35. *in ep. ad Hebr.*

a Vis igitur inter sapientes censeri aude & assere cum David *Dilexi mandata tua super aurum & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.* b ILLUD TIBI PROPOSITUM ESTO, IN QUOCUNQUE CASU: MALLE TE CEDERE, & CARERE OPIBUS, QUAM DEUM OFFENDERE: & certum indubitatumque habeto fore, ut quamdiu hoc tuum propositum tenueris, opibus necessarijs nunquam careas. Intelliges multo illud manifestius, ubi ea de re pluribus disseruero. Certè David omnino pollicetur, *Spera in Domino & fac bonitatem & inhabita terram & pasceris in divitiis ejus.* c Et Jobus sibi extremam calamitatem imprecatur, si hoc praeceptum transgressus fuerit. *Si autem aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea, & latatus sum super divitiis meis, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* d Hanc orationem si in ultima licet cum Jobo miseria non vane usurpare poteris: brevi tibi rursum obventuram cum eodem felicitatem denuntio. Non credes asserenti Prophetae? *Iunior fui etenim senui & non vidi justum derelictum, & semen ejus quaerens panem.* Cõtra tamen

a *De vita beata.c.*26. b *Ps.*117.129. c *Ps.* 6.3. d *Iob.*31,24.39.

men, *vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat?* (a) *Videbunt justi & timebunt, & ridebunt super eum, & dicent ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* (b) Quocirca, ne malo usu perdas, aut avertas à te divitias; necesse est, ut DEO TANTUM NITARIS, OPIBUS TANTUM UTARIS. Hanc regulam quamdiu ignoraveris, ceteris intelligendis idoneus non eris.

a *Ps.36.35.25.* b *Ps.51.5.*

QUÆSTIO IV.

Quis pauper, quis dives habendus, quæ item via ad divitias proxima.

PRincipio ad pugnam te, sed perlevem, & præsenti victoria ornandam, instruo. Hercules, ut aureis Hesperidum pomis frueretur, Draconem, præ foribus horti insomnem, clavâ ante confecit (si quid fabulis credimus) quam fructu potiretur. Cum bestia tibi domestica pugnandum erit, cupiditate tua, quam nisi viceris de fructu omni divitiarum desperatum est, neque probis tantum, sed & improbis frangenda hæc fera est, omnes

nes illa à vera opum possessione excludit. Jam pene despondes animum, video, cum tantæ rem molis objiciam. Age verò, si me audieris, rem esse comperies perlevem magnis animis. Siquidem non quamvis hic tibi cupiditatem, sed divitiarum tantum perdomandam oppono. Imo, nolo illam prorsus frangas abdicesque; sed tantummodo mutes. Arrige animum, & facilitatem animadvertes. Vis esse dives? & ego ut sis volo. vis auri satis in arca, panis in mensa, penus in cella, vestium in conclavi recondere? & ego te ista possidere volo, atque etiam cõcupiscere. Verum, ut ne ad alia quam ad familiæ usum postules, ut soli illa necessitati, non inutili abundantiæ commensa exigas, velim. Hoc si feceris abundantiam tibi etiam non quæsitam promitto. Mira res, quæri divitiæ cupidè ac solicitè nolunt, ut affluant, umbræ sunt, fugientes sequuntur; lappæ sunt, neglectim transeuntibus hærent. Cupis opes? tolle cupiditatem. Vis quantum EST SATIS? noli quod nimium est. Consule sacros profanosque, consule rationem atque experientiam, reperies luce meridiana clariora esse, quæ cæcis quibusdam noctuis ac vespertilionibus, id est veritatis ac virtutis osoribus, ægyptiæ videntur tenebræ. Expendamus obsecro

imperio patris durissimo (*a*) Ita dum plurima possideret, ambierat plurima. Sed ut solet, abundantiâ ad luxum luxuriamq; usus, humana divinaq; jura pessum dedit, ut factus Idolorũ cultor sui jam reus Judicij diceret, *Quis est Dominus?* Quis non tremat, non horrescat dum Sapientissimi etiam mortalium solis opibus ad amentiam vertuntur? Nimis verè Chrysostomus: *Divitiarum sequela luxuria est, ita intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisque rationabilis motus.* (*b*) Neque Ethnicum id hominem latuit, *quod divitia avaritiam, & abundantes voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia, invehant*, (*c*) Quare statuendum cum Ecclesiast. *Nihil iniquius quam amare pecuniã, hic enim & animam suã venalẽ habet.* (*d*) Turpissimus sanè atq; infelix quæstus cũ lucri gratia animam prodigo, & breve emolumentum æternis luo incendijs.

Neque paupertatem ab omni absolvo crimine, siquidem *divitiæ & paupertas, antiqui & magni Reip. morbi sunt.* e *Et, ut turpe est beatam vitam in auro & argento reponere, sic æquè turpe est in aqua & polenta* f Divina etiã sen-

a 3. *Reg.* 12. 4. b *Lib.* 1. *Nemo læditur.* c *Livius l* 1. *dec.* 1. d *Eccl.* 10. 10. e *Plutarch. in Lycurgo.* f *Seneca epist.* 11.

ntentia malum est egestas, cum impiorum
ena sit: *Egestas à Domino in domo impij; ha-*
tacula autem iustorum benedicentur. a *Insi-*
a inquit Leo Pontifex: *sunt in divitiarum*
mplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis; il-
elevant ad superbiam, hæ incitant ad querel-
; tentat sanitas, tentat infirmitas; & illa est
ateria negligentiæ, & hæc causa tristitiæ: la-
ueus est in securitate, laqueus in timore: nec
terest utrū animus qui terreno tenetur affectu
udijs occupetur, an curis: cum par morbus sit
el sub vana delectatione languere, vel sub an-
a solicitudine laborare b Nullibi tutum sa-
laqueos ubiq; tā in copia, quam inopia
osuit veterator Sathan, ut mirum non sit D.
ntonium in contēplatione mundi cœlesti
ce illustratum, omnia laqueis obsepta vi-
sse, atque ad Deum stupentem exclamasse.
omine quis evadet? c Ille ut his sese expedi-
t laqueis divitiarum nudus Christum se-
tus est. Mille alij postquam omnia in pau-
res effudissent, læti exclamarunt, *Laqueus*
ontritus est, & nos liberati sumus. d Multi
tenuitate opum innocentes & recti, post-
uam in arca aurum collegissent, amise-

a *Prov* 3.33. b *Leo in Ser. de verbis Dom.*
Surius in vita. d *Psal.*123,7.

runt innocentiam. *In laqueo quem absconderunt; comprehensus est pes eorum.* (a) hamus, laqueusque divitiæ sunt, quibus Diabolus captat. nam *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli* (b) Nec paucos reperias quos illaqueet indigentia. multi mortalium restim nunquam collo induerent, nisi suadente inopia furto latrociniisque suam alerent, aliorum sæpe abrumperent vitam. Exemplis opus non est, cum sint quotidiana, & furcæ passim doceant. Judas ut res privatas exigua augeret pecuniola Christum vendidit, & *abiens ex laqueo se suspendit.* Merito igitur luget Jeremias, cum suæ domus urbisque vastitatem intueretur. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis tuæ* (c) Misera facies & spoliatæ urbis, & opulentæ erat inopia, ad omne scelus invitabat, inopia ad extremum squalorem abjiciebat. Belisario summo exercitus sub Justiniano Imperatori nimiæ opes, & potentia ad ruinam profuêre, cum æmulorum non ferret invidiam: extrema vero in cæcitate paupertas coegit, etiam obulum mendicato corrogare. (d) Sigismundus Imperator & indigentiam aversabatur, & cumu-

(a) *Psal.* 9.16. (b) *Timot.* 6. (c) *Thren.* 3 (d) *Pontanus lib.* 2. *c.* 8. *de fortid.*

ılatas opes.quadraginta ducatorum millia Hungaria sua in arca collegerat, quorum râ dum intentus animus nocturnam æ- us quietem admitteret, jussit media nocte esse aulicos, partitisque in illos pecunijs s somni turbatores aufferre jussit(*a*) Pauci m Jobo tam opes quam egestatem sum- am æquo animo pertulêre. Pauci inter in- gentiam cum Tobia soliciti, ne quid furti- m in domum transferretur. Felicissimus e qui inter utrumque hunc vitæ humanæ opulum ita incederet medius, ut dum cha- bdim egestatis devitaret, in scyllam opum fluentiam non impingeret. Sapientis om- no viri oratio est. *mendicitatem & divi- as ne dederis mihi, tribue tantum victui meo cessaria.* Qui hanc probat sequiturque affe- ionem, alijs omnino præceptis non indiget it certè debilem ad hanc artem animum laturus est. *Necessaria nobis passim parata int, ad superflua laboramus.* (*b*) Qui igitur am Apostolo dicere non poterit. *Scio abun- are & penuriam pati.* (*c*) Et, *quis nos separa- it à charitate & certus sum quia neque al- itudo neque profundum,* (*d*) elatæ scilicet, ac

A 7 de-

a *Æneas Syl. in com. Alphonsi R. l.* 4 b *Tris- egistus Asclep. c.* 14. c *Phil,* 4. 12. d *Rom.* 8.

depressæ fortunæ: ille oratione Sapientis, & rebus ad victum necessarijs acquiescat, dum præsidijs monitisq; robustioribus firmetur, Interea hanc regulam sequatur. TAM EGESTATEM HONESTO LABORE DECLINANDAM ESSE, QUAM NON SPECTANDAM ABUNDANTIAM, Pericula enim ultro accersenda non sunt, satis erit oblata superasse.

QUÆSTIO III.

In quo consistat rectus divitiarum usus?

DIvitiæ ut gladius tractandæ sunt, non manu pueri, ut inter spinas rosæ: nam pungũt frequenter, ut scorpius captandæ: nã caudâ, & exitu, plerumq; infelici feriunt. Prę clarò sunt equo similes, freno rationis ac prudentiæ indigent. Bonæ sunt divitiæ si in animosas prudentesq; manus incidant. *Magnus ille est*, Seneca ait, *qui fictilibus sic utitur quemadmodum argento; nec minor ille, qui sic argento utitur quemadmodum fictilibus, infirmi est animi pati non posse divitias.* a Vis scire qui divitiæ conveniant? *Bona est substantia, cui non est peccatũ in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij.* b Contrà verò *Ignis in domo impij thesauri iniquitatis.* c & *Væ vobis di-*

a *Epist. 5, ad Lucil.* b *Eccl. 31. 30.* c *Mich. 6.*

itibus, quia habetis consolationem vestram. Recte Basilius. *Quatenus divitiæ suos possessores bonos non efficiũt, eatenus non sunt habendæ in bonis.* b Quid igitur consilij? David ait. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* c : divitias habeas, quas in tuã aliorũq; necessitatem potius dividas, quã thesaurũ in area repositum. *Vbi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum?* d Meministine histor. quam de Antonio Paduano annales referunt? e Ille exequijs usurarij ad confertam populi concionem verba facturus, postquam, ut at vir sanctæ pietatis fervorisque plenus, orum felicitatem infelici plerumq; absolexitu docuisset, qui cor terrenis potius, quam cœlestibus opib⁹ affixêre, divina quaam luce zeloq; animatus *Mortuus*, exclamat *hic dives est ac sepultus in inferno*, ite pronus atq; illius scrutamini thesaurum, cor defuncti in illo repertum, enuntiatæ veritatis testimoniũ dabit. Attoniti parentes, atq; amici, exploratũ quãto ocyus discedũt, & cor hominis etiãnũ calens palpitansq; in medio nummorũ acervo reperiunt. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Infelix negotiatio quæ hoc exitu absolvitur. *Filioli*, Christus inquit, *quam*

a *Luc.* 6. 26. b *Orat.* 14. *de div.* c *Ps.* 61. 11. d *Matt.* 6. 21. e *Sur. Iun.* 13.

quam difficile est confidentem in pecuniis in regnum Dei introire! facilius est Camelum per foramen acus transire. (a) Qui ad opes à Deo cor transferunt, rarò illud recipiunt. excordes inter opes manent. Aliud longè David á Deo precatur. *Inclina cor meum in testimonia & non in avaritiam.* (b) Quid ita tantine res periculi amare pecuniam? respondet Siracides, *qui aurum diligit, non justificabitur.* (c) Nec minus obscure in Evangelio Christus. *Nemo servus potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet; non potestis Deo servire & Mammonæ.* O quam pauci has æternæ Sapientiæ voces ad animum admittunt! *Audiebant* (pergit Evangelista) *omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* (d) Vident Euclıones, rident & Epulones, sed Deus quoque *in interitu illorum ridebit.* Veneramur hos in seculo divites, hos observamus, felicesque ac beatos dicimus. *Deus autem novit corda eorum, quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum.* (e) Non fulgor vestium, non comitatus satellitum, non byssus ac purpura divitem illum Helluonem commendare

a. *Marc.* 10. 24. b *Ps.* 118. c *Eccl.* 31. 8. d *Luc,* 16 13. e *Ibid.* 15.

re Deo poterant, inter centones, ulcera canesque Lazarus placuit.

Quisquis igitur ad divitias facili arte parandas aspiras, hoc tibi persuadeas velim. *Non potes Deo simul servire & Mammonæ.* Quid vero inquies, quo me ergo vertam: neque divitijs carere possum; neque Deo velim. Audi, si meo utaris consilio, possidebis utrumque. Pecunijs imperare te volo, servire Deo: nam

Imperat, aut servit collecta Pecunia cuiq;. a

Expedita res est, modo Pecunia tibi, tu Deo servias; tu illi, Deus tibi imperet. Ne ut veteri adagio fertur *Pecunia vir* sis. Themistocles pro nubili virgine malebat *virum indigentem pecunia, quam pecuniam viro.*

Si tibi Regina Pecunia imperat, si cupiditate illius tanquam compedibus tenêris, frustra dicis: *quia dives sum & locupletatus & nullius egeo: nescis enim quia tu es miser, & miserabilis, & pauper.* (b) Infelicissimi mortalium sunt, qui affectu divitiarum ad quævis agenda patiendaque abjiciuntur, opum mancipia, quibus malo consilio *cor suum apposuerunt. Si cœlum non fert duos soles nec regnum duos Reges* patitur ut quondam Alexander Dario regni dimidium offerenti respon-

a *Hor. l. 1. ep. 11.* b *Apocal. 3. 17.*

spondit, quomodo tu *cor* Mammonæ emancipatum Deo simul appones. Audies sanè illud Prophetæ *coāgustatū est*(cordis)*stratum, ita ut alter decidat, & palliū breve utrūq; operire non potest.* a Eligendū igitur: utri cor addicere, utri servire velis, Deo an Mammonæ? Mille illi nominibus obligaris, huic nullo. Debes illi ut creatori, debes ut redemptori. *Totum quod es illi debes, à quo totum habes.* Pergo cum Bernardo loqui: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro refecto, & pro refecto hoc modo? in primo opere me mihi dedit, in secundo opere se, & ubi se mihi dedit, me mihi reddidit?* b Debes illi ut summo Imperatori cujus edictū est. *Ego Dominus, hoc est nomen meū, gloriā meā alteri non dabo* c debes denique, ut parenti filius observantiā. Debita hæc verum suavis est servitus: longè diversa ab ea de qua Chrysostom. *servitus Pecuniarū omni tyrannide est pejor, laqueus apud Apostolū, vos disruptu, vinculu laqueo pro filio.* d Stulti estis qui vos, obligatâ cupiditate, tā vili creaturæ submittitis, qui *vendicat estis in libertatem filiorum Dei.* Audite Ethnicum hominem Senecam. *Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio.*

a Vis

a *Isa.* 28. 20. b *Bern. de quadre debito* c *Isa.* 42. 8. d *Homil* 35. *in ep. ad Hebr.*

a Vis igitur inter sapientes censeri aude & asſere cum David *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.* b ILLUD TIBI PROPOSITUM ESTO, IN QUOCUNQUE CASU: MALLE TE CEDERE, & CARERE OPIBUS, QUAM DEUM OFFENDERE: & certum indubitatumque habeto, fore, ut quamdiu hoc tuum propoſitum tenueris, opibus neceſſarijs nunquam careas. Intelliges multo illud manifeſtius, ubi ea de re pluribus diſſeruero. Certè David omnino pollicetur, *Spera in Domino & fac bonitatem & inhabita terram & paſceris in divitiis ejus.* c Et Jobus ſibi extremam calamitatem imprecatur, ſi hoc præceptum transgreſſus fuerit. *Si autem aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea, & lætatus ſum ſuper divitiis meis, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.* d Hanc orationem ſi in ultima licet cum Jobo miſeria non vanè uſurpare poteris: brevi tibi rurſum obventuram cum eodem felicitatem denuntio. Non credes aſſerenti Prophetæ? *Junior fui etenim ſenui & non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem.* Cõtra tamen

a *De vita beata.c.26.* b *Pſ.117.129.* c *Pſ.6.3.* d *Iob.31,24.39.*

men, *vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat?* (a) *Videbunt justi & timebunt, & ridebunt super eum, & dicent ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* (b) Quocirca, ne malo usu perdas, aut avertas à te divitias; necesse est, ut DEO TANTUM NITARIS, OPIBUS TANTUM UTARIS. Hanc regulam quamdiu ignoraveris, ceteris intelligendis idoneus non eris.

a *Ps.36.35.25.* b *Ps.51.5.*

QUÆSTIO IV.

Quis pauper, quis dives habendus, quæ item via ad divitias proxima.

PRincipio ad pugnam te, sed perlevem, & præsenti victoria ornandam, instruo. Hercules, ut aureis Hesperidum pomis frueretur, Draconem, præ foribus horti insomnem, clavâ ante confecit (si quid fabulis credimus) quam fructu potiretur. Cum bestia tibi domestica pugnandum erit, cupiditate tua, quam nisi viceris de fructu omni divitiarum desperatum est, neque probis tantum, sed & improbis frangenda hæc fera est, omnes

nes illa à vera opum possessione excludit. Jam pene despondes animum, video, cum tantæ rem molis objiciam. Age verò, si me audieris, rem esse comperies perlevem magnis animis. Siquidem non quamvis hic tibi cupiditatem, sed divitiarum tantum perdomandam oppono. Imo, nolo illam prorsus frangas abdicesque; sed tantummodo mutes. Arrige animum, & facilitatem animadvertes. Vis esse dives? & ego ut sis volo. vis auri satis in arca, panis in mensa, penus in cella, vestium in conclavi recondere? & ego te ista possidere volo, atque etiam cõcupiscere. Verum, ut ne ad alia quam ad familiæ usum postules, ut soli illa necessitati, non inutili abundantiæ commensa exigas, velim. Hoc si feceris abundantiam tibi etiam non quæsitam promitto. Mira res, quæri divitiæ cupidè ac solicitè nolunt, ut affluant, umbræ sunt, fugientes sequuntur; lappæ sunt, neglectim transeuntibus hærent. Cupis opes? tolle cupiditatem. Vis quantum EST SATIS? noli quod nimium est. Consule sacros profanosque, consule rationem atque experientiam, reperies luce meridiana clariora esse, quæ cæcis quibusdam noctuis ac vespertilionibus, id est veritatis ac virtutis osoribus, ægyptiæ videntur teñebræ. Expendamus obse-

cio

cro.quis sit dives,& quis pauper? ne palpitemus in tenebris. DIVES, si vim nominis spectes, Varrone teste, à Divus ita dicitur; quod tanquam DEUS nullius indigens sit. cupere igitur non potest aliud quicquam, præter illa quæ possidet. nam qui cupit, illo, quod cupit indiget.

Semper inops quicunque cupit. a

Quis dives? qui nil cupiet. quis pauper? avarus. b

Senecam audi. *quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computat. Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui minus cupit dives.*

Confirmet D. Ambrosius sacer profani Oratoris sententiam: *ibi abundantia ubi satietas; ubi autem fames & inexplebilis appetentia divitiarum, ibi utiq; paupertas.* Certa igitur ad paupertatem via est, non ad abundantiam cupiditas. Audi & crede hæc saltem sapientissimo mortalium. *Vir qui festinat ditari & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei,* e *Est quasi dives cum nihil habeat; & est quasi pauper cum in multis divitiis sit.* f O perver-

sa

a *Claud. l. 1. Ruf.* b *Auson.* c *Ad Lucil. ep.* 16. d *lib. 3. ep.* 10. e *Prov.* 28. 22. f *Prov.* 13.

ſa cupiditas quæ ipſam copiam in paupertatem vertit. Spina in roſis, in melle aculeus, in vino venenum eſt, quæ bonum omne corrumpit, ipſas de manibus divitias eripit, & inter opes cogit eſſe inopem. Miſerrimum Tantalum, qui

ſemper eget liquidis ſemper abundat aquis. a

Stultiſſimum Midam

Cui dum vertuntur in aurum
Omnia pauper eget.

Vis exẽplo illud veriore tibi ob oculos proponam? Petrarcha ſua ætate in Italia hæc facta refert. *b* Fuit nuper apud Italicos nobilis vir antiquarum poſſeſſionum dives ſatis, ditior virtutum. erat illi filius, qui vigili cura magnas opes multũq; auri quæſiverat, & erat (mirum viſu) in patre ſenẽ juvenilis largitas in juvene filio ſenilis tenacitas. ſæpe illum pater hortabatur, ne in comparatione auri pietatis obliviſceretur & famæ, deniq;, ut ſibimet, ut parentibus, ut pauperibus prodeſſe aliquando ſuas vellet divitias. Verũ ille ad omnia ſurdus, jam parta in arca ſecludens, nõ partis inhiabat. Ergo pater abſente longius filio theſaurum nulli utilem à latebris eruit, in ſe, familiam domum, pauperes liberaliter erogat. Sacculos in arcâ lapillis atque arena com-

a *Ovid*, b *Dialogo.*13.

complet,& eodem quo prius ſtatu relinquit omnia. Redux filius ubi cultos novo habitu fratres, ubi parentes, vix jam agnitos ubi familiam, tum & domum multo ornatiorem conſpicit ſtupore plenus ad arcam quantocyus advolat; ſed ubi omnia priſtinam referre faciem, ubi ſaccos tumore plenos animadvertit, parumper animo conquievit, atque ad collegas ſe recepit: dum per otium ad ſingula exploranda tandem reverſus, ubi ſaccos introſpexit, dolore atque amentiâ plenus exclamat, vociferatur, bachatur. Accurrit pater & quod malum, quærit, fili mi? quid lamentaris? Pecunia, inquit, mi pater, pecunia ubi eſt, tot parta vigilijs, tot quæſita laboribus? Quæ vero? excepit pater; ſaccos omnes plenos video. Arena reſpondet, ac lapides hic ſunt, nulla pecunia. Tum ſenex fronte nihil motâ. Quid refert, fili, apud te arenâ an pecuniâ pleni ſint? eundem uſum habent: tantundem loci occupant. Finge hos aurum eſſe, aut, fac ignores adhuc lapides eſſe, par erit utilitas, ego diviſi, &, ut noſtræ eſſent divitiæ feci, gratiam hanc parenti debes, quod te curis liberaverit ac non dubio avaritiæ crimine familiam digno ornamento honeſtaverit. Præclarum immodicæ cupiditatis remedium!

Interea pleno cum turget sacculus ore.
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat qui non habet. a

Filium, hic pater, & familiam ditare rectius non poterat, quam cum sic opes prodigeret. Vera Aristotelis sententia est. *Divitem esse, in utendo magis quam possidendo consistit.* b Quis credat opulentum fieri hominem quando cũ virtute opes in suos aliorumque usus profũdit? Sensit tamen idem Philosophus. *Opulentum & locupletem esse in parte aliqua virtutis ponitur, est enim opulentia possessionis virtus, ex qua habenti plurima commoda oriuntur.* (c) Otiosa igitur pecunia dum in nullius usum vertitur sine opulentia possidetur. Pauperem relinquit, quia necessitati non impendit, cupiditatem acuit, ut affusa aqua sitim hydropicis.

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Cumulo hac in re Ethnicorum hominum testimonia, ut intelligas quam ipsi rationi conformia tradam, neq; solis tantum Christianis legibus præscripta inculcem. Democritus interrogatus qua via dives quis possit evadere? *si inops*, respondit, *desiderio fuerit.*

B Di-

a Iuven. sat. 13. *b lib.* 1. *Rhet. ad Theod. c.* 5.
c ib. c. 6.

Dives erit qui cupiditatum pauper fuerit. (a) Epictetus in eandem rogatus sententiam. *Dives ille*, inquit, *cui Satis est quod habet.* (b) Epicurus ad Pytocleam, *si vis, ait, te divitem facere non pecuniis adjiciendum sed detrahendũ cupiditatibus.* (c) Plato negat illum qui cupiditatem non sustulerit unquam se pecunia ac paupertate liberaturum, (d) *Avaritia inquit* Ambrosius *quo plura abstulerit eo magis inopem se esse credit, omnibus invidia sibi vilis in summis divitiis inops, affectu extenuat, quod censu abundat.* (e) breviter Augustinus, *pauper est, qui vult esse dives.* (f) Incurabilis es quamdiu hoc morbo laboras, neque ab egestate ad opes aspirare poteris. Hæc exhaurit omnem succum veræ abundantiæ, una ex illis est filiabus de quibus sapiens, *Duæ sanguisugæ filiæ dicentes affer, affer.* (g) In morbis hic vere lupinus est, nam *insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis non satiabitur donec consumat arefaciẽs animam suam.* (h) cancer est ac quasi *ignis ardens qui nunquam dicit; sufficit.* (i) Similis vetusto Beli monumento quod cum Xerxes effodisset, ur-

a *Maxim ser.*12. b *Stobæus ser.*2. c *Seneca* d *Plutar. in demetr.* e *lib* 1. *de Cain. c.* 5. f *lib.* 1. *serm.* 11. g *Prov.* 30. 15. h *Eccl.* 14. 9. i *Proverb*, 30. 16.

urnam in eo memoratur reperisse vitream quæ cadaver in oleo complexa esset. , adscriptum , pessimè habiturum qui aperto sepulcro urnam non implesset Rex ut omen averteret, oleo affuso explere frustra conatus est , cum quantumcumque affunderet, inexplebilis esset. (a) talis avari cupiditas absumit omnia. Quæ ut gravissime cum eodem Salomone loquar in hac vita *infernus* est,& illius præparatio loci quem dives Epulo tot opibus hæreditavit. *Infernus & perditio nunquam implentur similiter & oculi hominum insatiabiles.* (b) Hinc aureæ de auro Chrysologus. *Aurum natura grave nimis grave fit avaritiâ hinc est, quod plus habentẽ deprimit, quam ferentem, & vehementius aggravat corda, quam corpora. nascitur in terra profunda, & dum naturam suam repetit cœlestes animas ad inferna deponit* (c) *Dæmone*. ait Chrysostomus, *gravior est pecuniariũ cupiditas. cui magis obediunt quam* (Ethnici:) *Idolis illis enim in multis non parent: huic vero in omnibus & quodcumque faciendum suggerit, obsequuntur.* (d) Nempe *argentum suum fecerunt sibi Idola ut interirent.* (e) Tecũ igitur pugnas, quisquis dives esse cupis, & hanc cupidi-

a *Ælian. L.* 13. *c.* 3 b *Prov.* 27. 20. c *Ser.* 29. d *Tom.* 3. *ho.* 64 *in Ioan.* e *Osea* 8. 4.

piditatem non abdicas, quæ necessitatis limites transilit. Tunc manifestè egere incipis, cùm non necessarijs animum adjicis: *Quid prodest*, Sapiens inquit, *nisi quod cernit divitias oculis suis?* (a) Dic, obsecro, quid prodest? Correxit olim non illepidè Prudens mulier stultè cupidum maritum; Pythius is fuit Rex Phrygum, Xerxis tempore, qui subditos ab agresti labore avocatos effodiendo auro distinabat, quæ res egestate vulgus, Pythium solo auro cumulabat. Uxor ut rei indignitatem opere magis, quàm verbo ostenderet, accumbenti ad mensam famelico, aurea omnia ciborum simulacra, in hanc rem parata, deferri mandat. qui cum aliquid eduliorum denique stomachabundus postularet, Uxor monuit acquiescendum istis, quæ insano studio parasset: hæc esse quibus tantam curam impenderet, neglectis ceteris: agnovit atque etiam resipuit Pythius. (b) Cogita iterum iterumque illud Sapientis: *Quid prodest nisi ut cernat divitias?* Job hanc stultitiam arguit, *Non est satiatus venter ejus, & cum habuerit, quæ concupierit possidere non poterit.* (c) Verùm & antiquum, ut D. Hieronymus, dictum est, avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. (f) Vi-

a *Eccl.* 5 10. b *Polyan in Strat.* c *Iob* 20. 20. d *Ep.* 10. 3.

Vides igitur omnino fieri non posse, ut hac cupiditate dominante dives habearis. Quid si ego nunc mala omnia, quæ ab hac peste manant, congererem, horreres profecto tam abominabile monstrum, & quanto posses studio opprimeres. Exclamares cum S. Cypriano: *O nimiū quanta diversitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas, usus.* (a) *Nulla*, agnovit Seneca, *avaritia sine pœna est, quantumvis satu ipsa sit pœnarum. O quantum lacbrymarum, quantum laborum exigit! quam misera desideratu, quam misera partis est! adjice quotidianas solicitudines; quæ pro modo habendi quemque discruciant, majore tormento pecunia possidetur, quam quæritur,* (b) Miratur Cyprianus, his verbis, hanc amentiam. *Non intelligit miser, speciosa sibi esse sua supplicia, auro se alligatum teneri; possideri magis quam possidere divitias. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insana profunda caligo! cum exonerare se possit, & levare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere.* (c) *Væ ei* exclamat Habacuc (*d*) *qui multiplicat non sua! usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Audis lutum

a *Epist. 2. ad Donat.* b *Epist.* 115. c *Supra* d *cap. 2. 6.*

quæ vecordia est, nisi puerilis, lucrum coacervare. Animadvertisti, NON SUA. Dic obsecro, *quæ parasti cujus erunt? Qui acervat ex animo suo injustè aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequā est cui alij bonus erit?* Mirum hoc, quod nec sibi nec alijs talis utilis futurus sit *Non jucundabitur in bonis suis. Qui sibi invidet nihil est illo nequius.* (*a*) O extrema hominis illius calamitas! neque ipse partis dignè fruitur, neq; quisquam alius. Suum ipse fraudat genium, alius gulam implet, ac brevi luxu profundit, longo sudore parta. Ita aurum tanquā Seianus equus cuivis possessori exitiale est. Alium neglecto, alium incauto usu destruit, semper noxium seu utaris, seu non utaris. Nimirum senes plerosq; avaritia, juvenes luxuria corrumpit; cum illi ex auro laboriosè quæsito cupiditatem, hi ex temere reperto licentiam accendant. Nihil igitur eo nequius esse potest, qui se heredesque suis opibus perdit. Fac tamen probum te heredem nancisci. Illi minimè benefacies, si supra necessitatem explendam opes relinquas. Tot enim objicere periculis, quot creat abundantia, hoc equidem in bonis censere non possum: nam quod vel profusioni vel avaritiæ, quæ inertiæ, super-

a Eccl. 14. 5. 6. 7.

perbiæ, luxuriæq; materiam subjicit, hoc beneficij omnino nomen amittit. Demus vero beneficium esse, cui illud & quam grato heredi relicturum te existimas? Audi historiam qua hanc tibi amentiam planiorem facturus videro. (*a*) Fuit Eucho, quem desperata valetudine æger decumbentem is, cum qui pro confessionibus illi aderat, ad lucri iniqui restitutionē non posset adducere; Medicum adornavit, qui pro astu fingeret, humano illum filiorum, aut propinquorum, adipe sanitatē, quam unicè amabat, consequi posse. Æger adhæc respirare, & coactæ familiæ præstita exaggerare beneficia, hoc unum ultimis flagitare precibus, ut si quis in eis parentis amor, guttā unam alteramq; adipis ne denegent. accensus eam in rem cereus, sed filiorū ceterorumque nemo tam robustæ patientiæ aderat, qui admotam digitis flammam diu sustineret. Tum verò Confessarius excipit. En ut nemo illorum tant illum pro re ignem, vel digito perferat, pro quibus tu teipsum æternis incendijs mavis tradere quam hereditatem, injuriâ auctam, non nihil imminuere. Voces illæ vim fulminis habuēre: penetrarunt animum, ac salubri horrore simul, ac luce perfudēre. Tu quisquis es, qui gratiam ab heredibus speras: hanc nimirum

a *Pet. de Palude 2, Dom. infra 8. Epiph.*

vivens obtinebis, ut ad mortem tuam aspirent, cujus opes sperant. Illud forte etiam Satyrici jactitent. Avarus, nisi cum moritur, nihil rectè facit.

Nolo hic tangere avaritiæ & cupiditatis mala, quæ animam salutemq; affligunt, cum hæc infinita penè sint, nec paucis absolvi possint. Ex Siracide illud suffecerit. *Avaro nihil est scelestius*, (a) atque alterum ex Apostolo: *Radix omnium malorum cupiditas*. b

Hanc porro cupiditatem infringere, atq; in eam, quæ sana est satiarique necessariis opibus potest, convertere haud omnino difficile est Quod sic manifestè declaro. Omnis cupiditas ex apprehensione boni temporalis existit. Quod si igitur, veritatem quam docui secutus, ita tecum statuas: bonum omne temporale divitiarum, per cupiditatem everti, ac tanto quemque ditiorem esse, quanto minus supra necessitatem appetit & apprehensionem tuam erroris plenam, & cupiditatem malorum fomitem haud difficulter extingues. Etenim cum dives esse cupias, ea quoque media velle debes, per quæ finem tibi propositum assequaris. cupiditas superfluorum inexplebilis est, necessariorum sola tunc acquiescit, cum quod SATIS est obti-

a *Eccl.* 10. 9. b 1. *Ti.* 6. 10.

tinuit. Quocirca hanc tibi hujus artis præſcribo regulam, ſine qua, nunquam opulentus eris. Vis eſſe dives? plus noli, quam ſatis eſt.

QUÆSTIO V.

Quid ad opes contendenti primum, quid ultimum eſſe debeat?

NOn exiſtimes te ludum fieri, cum hinc ad opes duco, atque ut dives ſis etiam doceo; inde cupiditatem ad divitias adimo. Jam intelliges quanto tuo id bono exigam, quamque te ſerio divitem velim. Ex duabus homo partibus anima & corpore conſtat, alijs illa quam hoc alimentis atque opibus paſcitur, animæ opes ſunt omnis actio honeſta & cum virtute conjuncta, tum divina in hoc mundo gratia, in futuro cœleſtis gloria: corporis opes alimenta ſunt, veſteſque neceſſariæ tanquam commeatus quidam, & viaticum ad hujus vitæ iter abſolvendum. Nemo tam inſanus unquam hominum fuit, qui animam corpore digniorem non agnoſceret: fuere tamen qui potiorem corporis, quam animæ curam habendam cenſerent. Quales ſunt, qui clamant.

O cives cives quærenda pecunia primum.
Virtus post nummos. (a) Et:
Nunquam vir æquus, dives evadit cito. (b)
Tum illi apud Sapientē stulti belluones, qui his se vocibus invitant. *Venite fruamur bonis quæ sunt & utamur creatura, &c quoniā hæc est pars nostra, & hæc est sors.* (c) Ut si bona in usum potius luxuriæ, quam necessitatis data essent; si nulla animæ salus, ac hæreditas quærenda. Alia lex sanæ rationis est, quę animam tanquam nobiliorem hominis portionem, materiæ & mortalitatis expertem, sensuum potentiarumque omnium vegetatricem, vitæ principium, rationis compotem, moderatricem corporis, ipso corpore vult esse potiorem, adeoq; primam illi curam deberi. *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* (d) Attende ordinem. animæ prima cura habenda est, deinde escæ ac cibandi corporis, denique vestimentorum. Accedit ad hanc naturæ legem divina alia. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & cetera omnia adjicientur vobis.* (e) Quid vero est regnum Dei? *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, gaudium & pax in Spiritu Sancto.* (f) Præposterum omnino

a *Horat. in epist.* b *Menandor.* c *Sap. 5.* d *Matt. 6.25.* e *Matt. 12.31.* f *Rom. 12.17.*

nino ac perversum *in* se imperium est, qui turpissima servitute animam submittit. quod ille prorsus facit, qui ad corporis emolumēta & curam animam abjicit, suæ salutis negligētem! *comparatus jumentis insipientibus & similis factus illis.*[a] Quæso te penitius hanc rem intuêre. Duo sunt, quæ in potissima parte felicitatis ponis: in hac vita, & in futura vita beatum esse. Utrumque tibi polliceor, imò Deus qui fallere non potest, promittit, modò rationem sanam, & illius sequaris cōsilium. Primò, ait, quære felicitatem regni cœlestis; deinde alteram, quæ hujus est mundi tibi adjiciam. Cur hunc ordinem non servas? cur præpostere agis? cur evertis, & spem tuam, & Dei promissionem? Si divitias omnes cupis, quæ tibi prodesse queant: en habes apertam viam facilem, expeditam, certam. qui ostendit fallere non potest. Et tamen ô cæcitas! neque Dei promissio, neque opum certitudo ad hanc viam plerosque mortalium hactenus potuit inflectere. Experientia ipsa docet neminem à Deo in opibus desertum, qui Deum ante non desereret. *Senui*, testâtur David, *& non vidi justum derelictum, & semen ejus quærens panem. Non confundentur* (justi) *in tempore malo, & in* die-

a *Psal.* 48.

gendam. *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* (a) Quid Laodiciæ Ecclesiæ præsulis divitias jactant, cum pauperi esset dictum? *suadeo tibi,* inquit Christus, *à me emere aurum ignitum probatum* (virtutis scilicet & amoris Dei,) *ut locuples fias.* (b) Quæ Davidis exhortatio? *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* (c) Etiamne in tam manifestis testimonijs, quorum divinæ literæ passim refertæ sunt, dubitare poteris? certè, ut hæc abessent, ratio te illa ignorare, aut refutare non patitur. *Quis namque* (Ita homo Ethnicus Xenophon loquitur) *à quoquam alio majora speraret, quam à Diis, qui prodesse maximè nobis possunt? hæc vero spectare ab iis illum oportet qui eis placet* (d) Places igitur? dives eris displices? quantumvis locuples sis, pauper eris. Socratis monitum est. *Si quid potes, illud cures: at si Deus ipse se curat, cur tu sollicitus tibi sis.* (e) Hæc via Regia ad opes est, illum adire primo, qui bonorum omnium Dominus ac largitor est; aliâ viâ divitias occupare

a 1. *Timoth.* 6.17. b *Apoc.* 3.17. c *Ps.* 33.10 d *De factis & dictis Socrat.* e *Maxim. ser. de provid.*

furum ac latronum est. arripit, non accipit; Domino suo subducit, non meretur. Sed frustra es, quicunque tuæ fidis industriæ, laboras, sudas, vigilas, curas: quantascunque etiam gazas colliges. *Patieris, non potieris.* Non fallitur, nec fallit David: *Divites eguerunt & esurierunt inquirentes Dominum non minuētur omni bono* (a) Extra Deum satiare nulla bona possunt. Verè ac sapienter Arragonum Rex Alphonsus: *Animus hominis à Deo profectus, nec prius conquiescit, quàm eò redeat, unde profectus est,* [b] acus magnetica est anima nostra, suum quærit polum, ut quiescat, *fecisti nos ad te.* (ô Deus) *& inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* (c) Nisi per Deū ad opes contendas nunquam eas assequeris, etiam cum assequeris: immortalis siquidem animus, non nisi in bono infinito potest acquiescere, à quo si avertatur, cupiditatem secutus, opibus creatis expleri nequaquam poterit. Quid? quod talis mortuo, quam vivo similior, nullum, neque ex humanis, neque ex divinis bonis, gustum liquidæ ac incorruptæ voluptatis hauriat.

Vita

a *Psal.* 33.10. b *Panor. lib.* 1. *gest.* c *lib.* 1. *Conf. c.* 1.

Vita animæ Deus est, hæc corporis: hac fugiente
Solvitur hoc; perit hæc, destituente Deo.

Qui autem diligit aurum non justificabitur. (*a*) gratiâ omni Dei ac vitâ animæ destituetur. *cujus messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus, ei iniquitas contrahet os suum. Panis ejus in utero vertetur in fel aspidũ intrinsecus divitias quas devoraverit, evomet, & de ventre ejus extrahet illas Deus. Non est satiatus venter ejus cum habuerit quod concupierit, possidere nõ poterit cum satiatus fuerit arctabitur, æstuabit & omnis dolor irruet super eum. Hæc est pars hominis impij à Deo & hæreditas.* (*b*) O infelix nimium hæreditas! O detestandæ opes, quæ nunquam satiant, possidentem curis arctant, implent doloribus! *Beatus* ille *dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in pecunia thesauris.* (*c*) *Timor Domini paradisus benedictionis* (*d*) Paucis Sapiens est complexus omnia: *Iustus comedit, & replet animam suã; venter autem impiorum insatiabilis.* (*e*) Exemp. utriusque divitis in Esau & Jacob. scriptura proponit, qui *divites erant valde,* &

a *Eccl.* 31.5. b *Iob.* 5. 5. *& seq.* c *Eccl.* 31,8, d *Eccl.* 40,28. e *Prov.* 13.

& simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. (a) Via uterque diversa ad divitias progressus est, alter à Deo, alter ab opibus ad felicitatem divitum contendebat. Hic quidem inter opes suas inops, ille, in sua etiam inopia, dives. Neque obscurus futurorum (quanquam ignarus) vates Isaacus, qui ita benedixit Jacob, ut à cœlo auspicaretur his verbis. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*: contra vero Esavo. *In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua* (b) Tu vide, benedictionem Jacobi an Esaui malis? Ille profecto optimam elegit partem quam Esau turpe ventris mancipium, lentis pulticula vendidit: *Sed esca ventris & venter escæ, Deus autem & hunc & has destruet.* (c) Talis esca ipsorum, qui cum aspirarent ad carnes & ollas Ægyptiorum, à Deo aversi sunt, quibus *adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* (d) *certior feliciorque esca, quam Deus dedit timentibus se?* (e) Quocirca *jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.* (f) Hanc suis, in extrema paupertate regulam, Seraphicus ille Franciscus

a *Gen* 36 b *Gen* 27.28.40. c 1. *Cor.* 6.13. d *Ps.* 77. e *Ps.* 110.5. f *Ps.* 54.23.

cus dedit,cujus etiamnum fiducia, tot millia religiosorum hominum, contemptis neglectisque opibus Deum sequitur, neque ullus unquam sua exspectatione fraudatus, fame aut inopia perire compertus est. Quinque horum millia, ex sola mendicitate viventium, Assisium confluxerant, quos hac sola spe,tanquam opimo patrimonio,ditavit Una urbs Aquisgranum, neque magna admodum,nec frequens sedecim cœnobia hominum Deo consecratorum continet; paucula,si cum vicino Leodio,aut Colonia Ubiorum componatur,quibus prædia census, præventus ex hæreditate paterna nulli, aut certè exigui,nulla si paucos exceperis, nisi cum Deo occupatio magna parte,corrogata stipe,vitam tolerat Hos tamen omnes curat ille,*qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum* (*a*) Infallibilis atque æternæ veritatis regula est, *Jacta super Dominum curam tuam,& ipse te enutriet.* Hæc,in extrema egestate,naturæ potius subvertit,transmutatve ordinem, quam quicquam in Deum sperantibus deesse patitur. Hæc filijs Israel de cœlo manna, ex aere coturnices,ex petra aquas dedit.(*b*)Hæc Eliam per corvos, (*c*),Elisæi convivas centum viginti

a *Ps.*146 9. b *Exod.*16. c 3 *Reg.*7.

ginti panibus, *a* Danielem in lacu Leonum per Habacuc satiavit, *b* Elisæi viduæ è vacuis dolijs sufficit oleum, *c* Sampsoni, post mille hostium cædem mandibula patratam, ex dente fontem aperuit, *d* Quid adhuc fluctuas? *Iacta super Dominum curam tuam.* citius natura, quàm Dei fides mutabitur. *Qui timetis Dominum credite illi, quia non evacuabitur merces vestra* e Non illa tantum veteris ævi miracula hoc testantur, Christiani paria viderunt. Israelitas Deus manná aluit, & olim quoq; anno Christi 455 in Phrygia, Gallacia, Cappadocia, post ingentem pestis famisque vastitatem, ob perfidiam Theodosij Monachi aliorumq; divinitus inflictam, qui superfuere manna cœlitus demisso aliti sunt, dum sequenti anno tellus inarata fruges profunderet. (*f*) Israëlitæ, fonte de petra educto, recreati sunt. Et Carolus Magnus, Aquisgrani conditor, anno Domini 772. quo Saxonum gentem domuit, paria expertus est: cum enim occupato Eresburgo, ad destruendum delubrum & Idolū Ermensul versus, siti extremâ, aquis deficientibus, exercitus premeretur, fons

a 4. *Reg.* 4. b *Dan.* 14. c 4. *Reg.* 4. 6. d *Iud.* 15. e *Eccl.* 1. 8. f *Ps.* 36. 3 g *Niceph. Call. l.* 15. *hist. Eccl. c.* 10.

fons medijs in castris plena luce excitatus, hominibus jumentisque suffecit, dum feliciter confecto negotio se reciperent. *a* Sampson fontem unum excitavit: centeni fontes à sitientibus Christianis excitari leguntur. Semel pane Eliam refectum per corvum legimus, millies primũ Anachoretam Paulum, quem 60. annis minister Corvus aluit, geminatâ etiam portione cibi cum D. Antonius hospes accederet. *b* Elias viginti panibus centum homines pavit, S. Faustulus in Ecclesia B Laurentij Martyris, post Longobardorum irruptionẽ, instauranda operarios omnes uno pane, divinitus suppeditato, refecit; ut collecta majori quantitate fragmenta ad refectionem alteram, & hujus reliquiæ ad tertiam, idq; per dies omnino decem suffecerint; dum opus in summa panis inopia, finem acciperet. *c* Quisquis es in necessitate es? *iacta super Dominum curam tuam.* DOMINVS PROVIDEBIT. Cæsaris hoc Maximiliani II. est Symbolum, Sit illud & tuum, non in tabulis, sed corde scriptum. *Dominus providebit etiam* per miracula. *Beatus dives qui inventus est sine macula &c. fecit enim mirabilia in vita sua, qui probatus est illo & per-*

a Chron. Franc. & Bar. tom. 9. anno. 772. b *S. Hieron in vita.* c *Greg. Dial. l. 3. c. 37.*

& perfectus est, erit ei gloria æterna. (a) Quod si dicas Sanctis quoque hominibus, & Deo nixis, quandoque in fame, siti, frigore, & nuditate laborandum fuisse, idque etiam de se illam Ecclesiæ columnam, Paulum, quo nemo firmius Deo subnixus stetit, expertum fateri; proindeque regulam hanc nonnunquam fallere. Respondebo, & nonnunquam filio necessaria postulanti, à parente negatum fuisse subsidium, ut preces orantis intenderet, affectumque acueret amantis; vix repertus, qui denique non inflecteretur. *Quomodo miseretur pater filiorum; misertus est Dominus timentibus se.* (b) Verũ tamen quando Apostolicis viris quicquam defuit? *Quãdo misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt nihil.* (c) Tam certæ fidei, tam propensæ in te affectionis Dominus est, ut omnem etiam matris in prolem amorem vincat. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* (d) Licet quandoque non abundaveris, ditior tamen quocumque futurus es divite, qui confidit in divitijs suis, qui sæpe ex avari-

a *Eccl.* 31. 8. b *Psal.* 102. c *Luc.* 22. d *Isa* 49.

ritia parcius sibi quam Deus in se confidentibus subministrat. Accedit, quod mille casibus divites ad extremam calamitatem recidant, quando nec unus quidem subnixum Deo affligit. Securior omnino thesaurus tuus in manibus & custodia Dei, quam hominum futurus est. Indubitatum & irrefragabile manet. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas* (a) Si res aliquando nobis angustior; ne subito existimemus, Dei nos promissa fallere. *Medicus ille,* inquit Augustinus, *cui nos totos commisimus novit, quando apponat, & quando detrahat, sicut nobis judicat expedire* (b) Et B. Bonaventura *unum,* ait *ex tribus putandum est, avaritiam projicientibus pro Deo, aut quod providebit eum Dominus necessariis; aut cum victu in penuria dabit homini vires quas in abundantia posset habere, & hoc est jucundius de modico esse fortem; aut quod subtraxit corpori refundetur menti.* utcunque res ceciderit, dives futurus es, etiam in paupertate; quia æquo animo possessis acquiesces, habiturus quod *satis est. Melius enim est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* (c)

Persuasi, nisi ferreus sis, & desperatæ cupidi-

a *Psal.* 36. 16. b *De Serm. Domini.* c *Proverb.* 26.

piditatis homo, quisquis hæc intelligis. Si dives esse volueris, Deus ante tibi quam fortuna concilianda est. *Si volueris mandata servare, conservabunt te,* (a) *Nolite* igitur *amittere confidentiam, quæ plenam habet remunerationem.* (b) Si ex me sciscitaris, qua via incedendum, ut certus sis, te Deum ante divitias quærere? ostendo paucis. Hanc tibi præfige legem, nūquam violandam. VT QVACVNQVE IN VITÆ CONDITIONE, QVALICVNQVE DEMVM ARTE AD DIVITIAS NITERIS, NOLIS QVICQVAM TIBI ACQVIRERE, QVOD SCIAS CVM LEVI ETIAM PECCATO CONIVNCTVM: Servit hæc regula omni hominum ætati, & ordini: ad quam nisi studium divitiarum exigas, Mammonæ non Deo servies Iudas eris, qui exigua pecuniola Deum traditurus es. Ceterum si ad legem hanc actiones composueris: ne diffide quæcunque tandem fortuna premat Deum obligatū habes; debet, negare non potest: obtinebis. *Homo homini exigua chartula obligatione constringitur: Deus tibi, & tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur?* (d) certus esto, Deus providebit.

QVÆ-

a *Eccl.* 15 16. b *Hebr.* 10, 35. c *Chrysol.* *ser.* 25.

QVÆSTIO VI.

Quis labor, & quæ solicitudo adhibenda divitias sectanti?

IAm ambigere nonnullos suspicor, quibus constitutum est in Deo spem suam figere; frustrane noster futurus sit labor, & vigilantia ad comparandas opes; cum enim Dominus teneatur lege promissorum illi, qui non confidit in homine *& non ponit carnem brachium suum,* a sed qui *jactat super Dominum curam suam,* Supervacuus labor hominis illius futurus videtur, præsertim cum Ecclesiæ Principes moneant. *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum* b Gratias enim antequam obtinueris, jubet agere, si certus sis, priusquam petas, te postulata obtenturum. Et Petri monitum est, *omnem solicitudinem vestram projcientes in eum quoniam ipsi cura est de vobis.* c ipsiusmet veritatis hæc est oratio. *Non potestis Deo servire & Mãmonæ, ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis, neque corpori quid induamini, respicite volatilia cœli, quoniã non serunt, neque metũt, neque congregant*

a *Ier.* 11. b *Phil.* 4. 6. c 1. *Pet.* 5. 7.

gant in horrea, & Pater vester cælestis, pascit illa, non vos magis pluris estis illi? subjungit, *hæc omnia gentes inquirunt, quærite ergo primum regnum* Dei, *& hæc omnia adjicientur.* (a) Hæc oratio ita à quibusdam olim accepta est, ut nefas ducerent Monachum ac Deó consecratum quicquam pro victu laborare. Euchitæ illi dicti quosdam hodie ex Anabaptistis sectatores habent. Hos more volucrum, sine cura vitam laudantes, B. Augustinus ridet, quæritque. *Cur ergo illi manus otiosas, & plena repositoria volunt habere? cur denique molunt & coquunt; hæc enim aves non faciunt?* (b) Nimirum divinæ literæ vastum sunt mare, quod scopulos tamen suos scyllasque habet, ad quas non pauci impingunt, qui suo nimium ingenio tribuunt, & sobriè minus provehuntur. Solicitudo illa à Domino rejicitur, quæ cum turbatione est. Qui circa temporales curas abripiuntur, his illud Christi ad Marthiam objicitur, *solicita es & turbaris erga plurima porro unum est necessarium,* (c) quod verò illud? *solicitum ambulare cum Deo tuo.* (d) ut Magdalena suo exempló docebat, hanc primum vult esse curam, alteram

a *Matt.* 6.24. *& seq.* b *August. de oper. monarch. c.* 23 *tom.* 3 c *Luc.* 10.41. d *Mich.* 6.8.

ram temporalibus impendi postulat. D. Thomæ Aquinatis hæc est expositio. *Cum Dominus ait, nolite soliciti esse, non hoc dicit ut ista non procurent, quantum necessitatis est, unde honestè potuerint vivere; sed ne cura temporalium retrahamini ab æternis.* (a) Ordo tantum exigitur, *Anima plus est quàm esca*, regnum Dei terreno præferendum. Illius ergo cura debet esse potissima; aliud non negligi: neque enim alia nobis ratione concessum nisi per laborem à superis. Minori Deus miraculo à cœlo manna profundere potuit, quàm de terra educere segetem, ea lege atque ordine succrescentem. Minus erat Angelorum manibus, quàm hominum ista confici.

Poterant zytho vinove fluere rupes, quæ aquis scaturiunt poterant & panem arbores pro pomis fundere, poterat verbo Deus tot vrbes palatiaqe excitare, quot unquam orbis, magnificentia ac numero tulit maxima; verbo, paradisus tota esse tellus potuit, sed lex illa Adamo posterisque lata est, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es.* (b) Et *homo nascitur ad laborem sicut avis ad volatum* (c)

a) *D. Thom. in Cant.* b) *Gen. 3. 19.* c) *Job 5. 7.*

furum ac latronum est. arripit, non accipit; Domino suo subducit, non meretur. Sed frustra es, quicunque tuæ fidis industriæ, laboras, sudas, vigilas, curas: quantascunque etiam gazas colliges. *Patieris, non potieris*. Non fallitur, nec fallit David: *Divites eguerunt & esurierunt inquirentes Dominum non minuẽtur omni bono* (a) Extra Deum satiare nulla bona possunt. Verè ac sapienter Arragonum Rex Alphonsus. *Animus hominis à Deo profectus, nec prius conquiescit, quàm eò redeat, unde profectus est*; [b] acus magnetica est anima nostra, suum quærit polum, ut quiescat, *fecisti nos ad te*. (ô Deus) *& inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. (c) Nisi per Deũ ad opes contendas nunquam eas assequeris, etiam cum assequeris: immortalis siquidem animus, non nisi in bono infinito potest acquiescere, à quo si avertatur, cupiditatem secutus, opibus creatis expleri nequaquam poterit. Quid? quod talis mortuo, quam vivo similior, nullum, neque ex humanis, neque ex divinis bonis, gustum liquidæ ac incorruptæ voluptatis hauriat.

Vita

a *Psal*. 33.10. b *Panor. lib*. 1. *gest*. c *lib*. 1. *Conf*. c. 1.

Vita animæ Deus est; hæc corporis: hæc fugiente
Solvitur hoc; perit hæc, destituente Deo.

Qui autem diligit aurum non justificabitur. (a) gratiâ omni Dei ac vitâ animæ destituetur. *cujus messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus, ei iniquitas contrahet os suum. Panis ejus in utero vertetur in fel aspidū intrinsecus divitias quas devoraverit, evomet, & de ventre ejus extrahet illas Deus. Non est satiatus venter ejus cum habuerit quod concupierit, possidere nō poterit cum satiatus fuerit arctabitur, æstuabit & omnis dolor irruet super eum. Hæc est pars hominis impii à Deo & hæreditas.* (b) O infelix nimium hæreditas! O detestandæ opes, quæ nunquam satiant, possidentem curis arctant, implent doloribus! *Beatus ille dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris.* (c) Timor *Domini paradisus benedictionis* (d) Paucis Sapiens est complexus omnia: *Iustus comedit, & replet animam suā; venter autem impiorum insatiabilis.* (e) Exemp. utriusque divitis in Esau & Jacob. scriptura proponit, qui *divites erant valde,*
&

a *Eccl.*31.5. b *Iob.*5.5. *& seq.* c *Eccl.*31,8. d *Eccl.*40,28. e *Prov.*13.

& simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. (a) Via uterque diversa ad divitias progressus est, alter à Deo, alter ab opibus ad felicitatem divitum contendebat. Hic quidem inter opes suas inops, ille, in sua etiam inopia, dives. Neque obscurus futurorum (quanquam ignarus) vates Isaacus, qui ita benedixit Jacob, ut à cœlo auspicaretur his verbis. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*: contra vero Esavo. *In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua* (b) Tu vide, benedictionem Jacobi an Esaui malis? Ille profecto optimam elegit partem quam Esau turpe ventris mancipium, lentis pulticula vendidit: *Sed esca ventri, & venter escæ, Deus autem & hunc & has destruet.* (c) Talis esca ipsorum, qui cum aspirarent ad carnes & ollas Ægyptiorum, à Deo aversi sunt, quibus *adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* (d) *certior feliciorque esca, quam Deus dedit timentibus se?* (e) Quocirca *jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.* (f) Hanc suis, in extrema paupertate regulam, Seraphicus ille Francis-

cus

a *Gen* 36 b *Gen* 27.28.40. c 1. *Cor.* 6.13. d *Ps.* 77. e *ps.* 110.5. f *ps.* 54.23.

cus dedit, cujus etiamnum fiducia, tot millia religiosorum hominum, contemptis neglectisque opibus Deum sequitur, neque ullus unquam sua exspectatione fraudatus, fame aut inopia perire compertus est. Quinque horum millia, ex sola mendicitate viventium, Assisium confluxerant, quos hac sola spe, tanquam opimo patrimonio, ditavit Una urbs Aquisgranum, neque magna admodum, nec frequens sedecim cœnobia hominum Deo consecratorum continet; paucula, si cum vicino Leodio, aut Colonia Ubiorum componatur, quibus prædia census, præventus ex hæreditate paterna nulli, aut certè exigui, nulla si paucos exceperis, nisi cum Deo occupatio magna parte, corrogata stipe, vitam tolerat Hos tamen omnes curat ille, *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum* (a) Infallibilis atque æternæ veritatis regula est, *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Hæc, in extrema egestate, naturæ potius subvertit, transmutatve ordinem, quam quicquam in Deum sperantibus deesse patitur. Hæc filijs Israel de cœlo manna, ex aere coturnices, ex petra aquas dedit. (b) Hæc Eliam per corvos, (c) Elisæi convivas centum viginti

a *Psal.*146 9. b *Exod.*16. c 3 *Reg.*7.

ginti panibus, *a* Danielem in lacu Leonum per Habacuc satiavit, *b* Elisæi viduæ è vacuis dolijs suffecit oleum, *c* Sampsoni, post mille hostium cædem mandibula patratam, ex dente fontem aperuit, *d* Quid adhuc fluctuas? *Iacta super Dominum curam tuam.* citius natura, quàm Dei fides mutabitur. *Qui timetis Dominum credite illi, quia non evacuabitur merces vestra* e Non illa tantum veteris ævi miracula hoc testantur. Christiani paria viderunt. Israelitas Deus manná aluit, & olim quoq; anno Christi 455. in Phrygia, Gallacia, Cappadocia, post ingentem pestis famisque vastitatem, ob perfidiam Theodosij Monachi aliorumq; divinitus inflictam, qui superfuere manna cœlitus demisso aliti sunt, dum sequenti anno tellus inarata fruges profunderet. (*f*) Israëlitæ, fonte de petra educto, recreati sunt. Et Carolus Magnus, Aquisgrani conditor, anno Domini 772. quo Saxonum gentem domuit, paria expertus est: cum enim occupato Eresburgo, ad destruendum delubrum & Idolũ Ermensul versus, siti extremâ, aquis deficientibus, exercitus premeretur, fons

a 4. *Reg.* 4. b *Dan.* 14. c 4. *Reg.* 4. 6. d *Iud.* 15. e *Eccl.* 1. 8. f *Ps.* 36. 3. g *Niceph. Call. l.* 15. *hist. Eccl. c.* 10.

fons medijs in castris plena luce excitatus, hominibus jumentisque suffecit, dum feliciter confecto negotio se reciperent. *a* Sampson fontem unum excitavit: centeni fontes à sitientibus Christianis excitari leguntur. Semel pane Eliam refectum per corvum legimus, millies primū Anachoretam Paulum, quem 60. annis ministr Corvus aluit, geminatâ etiam portione cibi cum D. Antonius hospes accederet. *b* Elias viginti panibus centum homines pavit, S. Faustulus in Ecclesia B Laurentij Martyris, post Longobardorum irruptionē, instauranda operarios omnes uno pane, divinitus suppeditato, refecit; ut collecta majori quantitate fragmenta ad refectionem alteram, & hujus reliquiæ ad tertiam, idq; per dies omnino decem suffecerint; dum opus in summa panis inopia, finem acciperet. *c* Quisquis es in necessitate es? *tacta super Dominum curam tuam.* DOMINVS PROVIDEBIT. Cæsaris hoc Maximiliani II. est Symbolum, Sit illud & tuum, non in tabulis, sed corde scriptum. *Dominus providebit etiam* per miracula. *Beatus dives qui inventus est sine macula &c. fecit enim mirabilia in vita sua, qui probatus est illo & per-*

a *Chron. Franc. & Bar. tom. 9. anno.* 772. b *S. Hieron. in vita.* c *Greg. Dial. l. 3. c. 37.*

& perfectus est, erit ei gloria æterna. (a) Quod si dicas Sanctis quoque hominibus, & Deo nixis, quandoque in fame, siti, frigore, & nuditate laborandum fuisse, idque etiam de se illam Ecclesiæ columnam, Paulum, quo nemo firmius Deo subnixus steterit, expertum fateri; proindeque regulam hanc nonnunquam fallere. Respondebo, & nonnunquam filio necessaria postulanti, à parente negatum fuisse subsidium, ut preces orantis intenderet, affectumque acueret amantis; vix repertus, qui denique non inflecteretur. *Quomodo miseretur pater filiorum; misertus est Dominus timentibus se.* (b) Verũ tamen quando Apostolicis viris quicquam defuit? *Quãdo misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt nihil* (c) Tam certæ fidei, tam propensæ in te affectionis Dominus est, ut omnem etiam matris in prolem amorem vincat. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* (d) Licet quandoque non abundaveris, ditior tamen quocumque futurus es divite, qui confidit in divitijs suis, qui sæpe ex avari-

ri-

a *Eccl.* 31. 8. b *Psal.* 102. c *Luc.* 22. d *Isa* 49.

ritia parcius sibi quam Deus in se confidentibus subministrat. Accedit, quod mille casibus divites ad extremam calamitatem recidant, quando nec unus quidem subnixum Deo affligit. Securior omnino thesaurus tuus in manibus & custodia Dei, quam hominum futurus est. Indubitatum & irrefragabile manet. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas* (a) Si res aliquando nobis angustior; ne subito existimemus, Dei nos promissa fallere. *Medicus ille,* inquit Augustinus, *cui nos totos commisimus novit, quando apponat, & quando detrahat, sicut nobis judicat expedire* (b) Et B. Bonaventura *unum,* ait *ex tribus putandum est, avaritiam projicientibus pro Deo, aut quod providebit eum Dominus necessariis; aut cum victu in penuria dabit homini vires quas in abundantia posset habere, & hoc est jucundius de modico esse fortem; aut quod subtraxit corpori refundetur menti.* utcunque res ciderit, dives futurus es, etiam in paupertate; quia æquo animo possessis acquiesces, habiturus quod *satis est. Melius enim est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* (c)

Persuasi, nisi ferreus sis, & desperatæ cupidi-

a *Psal.* 36.16. b *De Serm. Domini.* c *Proverb.* 26.

piditatis homo, quisquis hæc intelligis. Si dives esse volueris, Deus ante tibi quam fortuna conciliandus est. *Si volueris mandata servare, conservabunt te,* (a) *Nolite* igitur *amittere confidentiam, quæ plenam habet remunerationem.* (b) Si ex me sciscitaris, qua via incedendum, ut certus sis, te Deum ante divitias quærere? ostendo paucis. Hanc tibi præfige legem, nũquam violandam. VT QVACVNQVE IN VITÆ CONDITIONE, QVALICVNQVE DEMVM ARTE AD DIVITIAS NITERIS, NOLIS QVICQVAM TIBI ACQVIRERE, QVOD SCIAS CVM LEVI ETIAM PECCATO CONIVNCTVM: Servit hæc regula omni hominum ætati, & ordini: ad quam nisi studium divitiarum exigas, Mammonæ non Deo servies Iudas eris, qui exigua peculiola Deum traditurus es. Ceterum si ad legem hanc actiones composueris: ne diffide quæcunque tandem fortuna premat Deum obligatũ habes; debet, negare non potest: obtinebis. *Homo homini exigua chartula obligatione constringitur: Deus tibi, & tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur?* (d) certus esto, Deus providebit.

QVÆ-

a *Eccl.* 15 16. b *Hebr.* 10, 35. c *Chrysol. ser.* 25.

QVÆSTIO VI.

Quis labor, & quæ solicitudo adhibenda divitias sectanti?

Iamambigere nonnullos suspicor, quibus constitutum est in Deo spem suam figere; frustrane noster futurus sit labor, & vigilantia ad comparandas opes; cum enim Dominus teneatur lege promissorum illi, qui non confidit in homine *& non ponit carnem brachium suum*, a sed qui *iactat super Dominum curam suam*, Supervacuus labor hominis illius futurus videtur, præsertim cum Ecclesiæ Principes moneant. *Nihil soliciti situ, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum* b Gratias enim antequam obtinueris, jubet agere, si certus sis, priusquam petas, te postulata obtenturum. Et Petri monitum est, *omnem solicitudinem vestram projicientes in eum quoniam ipsi cura est de vobis.* c ipsiusmet veritatis hæc est oratio, *Non potestis Deo servire & Mãmonæ, ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis, neque corpori quid induamini, respicite volatilia cœli, quoniã non serunt, neque metũt, neque congregant*

a Ier. 11. b *Phil.* 4. 6. c 1. *Pet.* 5. 7.

gant in horrea, & Pater vester cælestis, pascit illa, non vos magis pluris estis illi? subjungit, *hæc omnia gentes inquirunt, quærite ergo primum regnum* Dei, *& hæc omnia adjicientur.* (*a*) Hæc oratio ita à quibusdam olim accepta est, ut nefas ducerent Monachum ac Deó consecratum quicquam pro victu laborare. Euchitæ illi dicti quosdam hodie ex Anabaptistis sectatores habent. Hos more volucrum, sine cura vitam laudantes, B. Augustinus ridet, quæritque. *Cur ergo illi manus otiosas, & plena repositoria volunt habere? cur denique molunt & coquunt: hæc enim aves non faciunt?* (*b*) Nimirum divinæ literæ vastum sunt mare, quod scopulos tamen suos scyllasque habet, ad quas non pauci impingunt, qui suo nimium ingenio tribuunt, & sobriè minus provehuntur. Solicitudo illa à Domino rejicitur, quæ cum turbatione est. Qui circa temporales curas abripiuntur, his illud Christi ad Martham objicitur, *solicita es & turbaris erga plurima porro unum est necessarium,* (*c*) quod verò illud? *solicitum ambulare cum Deo tuo,* (*d*) ut Magdalena suo exemplo docebat, hanc primum vult esse curam, alteram

a *Matt.* 6.24. *& seq.* b *August. de oper. monarch.* c. 23 *tom.* 3 c *Luc.* 10.41. d *Mich.* 6.8.

iam temporalibus impendi postulat. D. Thomæ Aquinatis hæc est expositio. *Cum Dominus ait, nolite soliciti esse, non hoc dicit ut ista non procurent, quantum necessitatis est, undè honestè potuerunt viuere; sed ne cura temporalium retrahamini ab æternis.* (a) Ordo tantum exigitur, *Anima plus est quàm esca*, regnum Dei terreno præferendum. illius ergo cura debet esse potissima; aliud non negligi: neque enim aliâ nobis ratione concessum nisi per laborem à superis. Minori Deus miraculo à cœlo manna profundere potuit, quàm de terra educere segetem, ea lege atque ordine succrescentem. Minus erat Angelorum manibus, quàm hominum ista confici.

Poterant zytho vinove fluere rupes, quæ aquis scaturiunt poterant & panem arbores pro pomis fundere, poterat verbo Deus tot vrbes palatiaq́e excitare, quot unquam orbis, magnificentia ac numero tulit maxima; verbo, paradisus tota esse tellus potuit, sed lex illa Adamo posterisque lata est, *in sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es.* (b) Et *homo nascitur ad laborem sicut avis ad volatum* (c)

a) *D. Thom. in Cant.* b) *Gen. 3. 19.* c) *Iob 5. 7.*

Sed alius est labor prudentium: alius stultorum. *Labor stultorum affligit eos*(a) *Vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.* (b) *Bonorum autem laborũ gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* (c) *Si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes*, (d) quanquam non desit etiam, in quem illud Sapientis cadat. *Stultus complicat manus suas & comedit carnes suas, dicens: melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore & afflictione animi.* Et alius reperitur, qui *laborare non cessat, nec satiatur oculus eius divitijs, nec recogitat dicens, cui laboro?* Sed attende quo Epiphonemate hunc laborem Sapiens coronet, *In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* (e) Concludat hanc Sapientis filij doctrinam pius ac Sapiens Pater. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* (f) intellige, ambulandum tibi esset in hisce diebus peregrinationis tuæ non sedendum aut standum in vijs Domini. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* (g) Primum est timere Deum; alterum est laborare in vijs seu præceptis Domini;

(a) *Eccl.* 10.15. (b) *Sap.* 3.11. (c) *ib.* 15. (d) *Sap.* 8.7. (e) *Eccl.* 4. 6. 8. (f) *Ps.* 127.1. (g) *p.* 1282.

animi; tertium, si victus aliunde non suppetat, pro illo acquirendo solicitum esse, & hæc qui facit, beatus pronunciatur.

Quantum vero laboris ac solicitudinis adhibendum sit quisque tum ex ratione status, conditionis suæ, tum ex necessitatis incumbentis mensura facile colliget. Alius enim labor agricolam, alius civem, alius pauperem, alius diuitem, alius rudem & indoctum, alius eruditum & honoratum, alius religiosum atque Ecclesiasticum, alius profanum hominem decet. Nonnullus ex imperio, alius ex voluntate labor assumitur. Omnibus tamen hæc præfixa ad opes consequendas regula est. *quærite primum regnũ Dei & iustitiam eius, & cætera adijcientur.* Omnes in vinea Domini versantur, Domino ante omnia seruiendum. Opes huius laboris auctarium potius sunt, quàm merces. Peregrini omnes ad patriam cœlestem contendimus, viaticum quidem comparandum, sed cauendum ne præposterè viaticum magis, quàm viam spectemus: Non enim via propter viaticum, sed propter viam viaticum. Secundarius iste labor est qui diuitijs parandis impenditur. Obseruandum, quantum tibi viæ fortasse restet, ne quò magis ad senium procedis (qui morbus multorũ)

est) tanto maiori cura opes congeras. *Quid enim magis stultum, quàm ubi minus viæ restat, plus viatici quærere. facilè omnia contemnit, qui se quotidie cogitat moriturum.* (a Ergo à quouis suus ita auspicandus labor, ut quemadmodum olim Ethnici quoque senserunt.)

A Ioue principiũ Musa, Iouis omnia plena. (b Sic nos Christiani illud carmen identidem repetamus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini. (c Prima igitur atque vniuersalis omnium regula hæc esto.

PRINCIPIUM ET FINIS LABORIS QVÆSTVOSI DEBET ESSE DEVS.

Hanc ipsa natura à Deo condita, hanc etiam diuinæ leges, sine omni exceptione præscribunt. *Quærite primum regnum Dei.*

Peccant contra hanc legem quorum intentio ac cura prima est, ut rem suam auctiorem faciant. Similes illi, qui ideo sibi iter suscipiendum statuit, ut viaticum habeat. peruersitas hæc manifesta est, quæ animam corpori, æterna caducis, diuina humanis posthabet. Hic error non tantùm à sæcularibus, qui propter opes potissimum negotian-

a) *Hier, ep. ad Paulinnum,* b) *Virgil,* c) *Psal.123.8,*

tiamur, poteſt admitti; verum etiam viris Eccleſiaſticis, qui iccirco beneficium adeunt, ut redditibus fruantur; qui non quærunt primò regnum Dei, ſi propter ventrem Deo ſeruiant. Mutãdum omnino conſilium & hic ſtatus adeundus, obeundumque munus; ut Deo ſeruias *Cætera adijcientur* Hæc prima Fundatorum mens. non in otioſos luxurioſoſque ventres, ſed Dei Eccleſiæque Miniſtos hæc impenſa ſubſidia. *Nonne anima plus eſt quam eſca? Diuitias quas deuorauit, euomet; & de ventre illius extrahet illas Deus.* a Verè *multis lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium, væ illis qui ſectantur illud.* b Sectari illud nequaquam debet, qui ex merito illud vult conſequi; non debetur niſi Deo ſeruientibus.

Aberrant ab hoc ſcopo & illi qui publica Reipub. munia eo præcipuè conſilio adeunt, ut locupletentur. Aliud omnino ſpectandum, Reipub. ſalus, quæ in religione ac pietate fundatur, bonis moribus excolitur, legibus regitur ciuilibus. hæc qui negligũt, in ouile Chriſti, hoc eſt in Remp. Chriſtianam, non ut paſtores ex Seruatoris noſtri ſententia, ſed ut fures & latrones irrumpunt: ſpoliant tantum ac vaſtant, non cuſto-

G 3 diunt

a] Iob 20.15. b] Eccl. 31.7.

duint. Mutandum sanè propositum erit, & Magistratus accipiendus ut communi vobis saluti ad diuinas humanasque leges tuendas præsis, non ut proprijs emolumentis seruias; hæc, cùm minimè spectaueris, à Deo *adjicientur*. Infallibilis hæc regula est, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ*. Huic seruit, quisquis non propter Deum, sed diuitias propositas ad opus suscipiendum impellitur. Tu conscientiam consule, & intelliges quo pondere mouearis.

Quicquid agunt homines, intentio indicat omnes.

Nemo ab hac lege eximitur, omnium in opibus parandis scopus Deus esse debet, non Mammona. Seruus, an liber, negotiator, an literatus fueris, & seruitium, & studium, & negotiatio ad animæ salutem, Deique honorem dirigenda sunt, opes solicitè quærendæ non sunt, *adijcientur.*

Altera regula generalis est OMNES ACTIONES NOSTRAS, QVIBVS LVCRVM ALIQVOD COMPARAMVS, HVMANIS AC DIVINIS LEGIBVS CONFORMANDAS ESSE. Hanc & ratio dictat, & Christus præscribit. *quærite primum regnum Dei & iustitiam eius.* Peccant contra hanc primo quotquot cum aliorum iniuria suas opes augent, quotquot

aut dolo,aut vi fraudant proximum. mille hic artes negotiantium , quas longum sit enumerare; conſcientiam Deumque teſtem habeant,qui facilè ſcopulos aperiet Ut id dicam, quam leuiſſimum & quotidianum multorum vitium eſt, ſolo mendacio carius merces obtrudere , diſpendium eſſe tuum non lucrum exiſtimes; nam ſi rationes tantum humanas conſules toties mendax, denique fidem nec iuratus habebis ; auertes crebrum emptorem , qui copioſius affluxeret,ſi fidem facilitatemque in te comperiſſet. taceo famam cum conſcientia læſam maiora argento bona. rectè Chilon *Damnum turpi lucro preferendum eſt , illud enim ſemel dolet hoc ſemper.* a Non minus ſapienter Auguſtinus *lucrum feciſti, ſed ut lucrum faceres. Deum offendiſti: plus perdidiſti, quàm acquiſiuiſti.* b Audiant & hoc loco Caput Eccleſiæ Clerici,& nec ubi impingant, diligenter obſeruent. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei providentes,non coactè,ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratiâ ſed voluntariè.* c Tale lucrum illorum eſt,qui creditum ſibi gregem aut negligenter curant,aut exemplo deſtruunt, tum illo-

 rum

a) *Laert. in vita Philos. l.1.c 4.* b) *in Pſal.* 123 c) 1. *Pet.* 5.

rum, qui Ecclesiæ seruitio destinati, officia pietatis sine pietate obeunt. qui inter psalmodias templorum *labijs suis glorificant, & cor eorum longè à* Deo *est* a qui mutilant, abrumpunt, aliquando etiam prætereunt precum Canonicarum lectionem, hi nimirum iniustè ditantur Ecclesiæ censu, ac restitutionis legibus rigidè tenentur. Deo seruientibus hi redditus destinantur. Heu verum nimis, certumque *lignum offensionis est aurum sacrificantium*! væ illis! *maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* a Benedictionem à liberali & larga Dei manu expectemus *si cor nostrum non reprehenderit nos*, tunc enim *fiduciam habemus ad Deum* b In eundem impingunt non raro scopulum, qui ad clauum Reipub sedent, & non qua æquitate sed quo suo commodo pleraque administrent, unicè curant. Scopuli hi perquam frequentes, & cautelis ad evadendum opus est. *Non accipies personam nec munera quia excæcant oculos sapientum*, c *maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis*. d Non ditaberis hac iniquitatate, quærite *iustitiam, & cætera adijcientur*. Præclarè B. Eugenius reiecit hominem

pro

a) *Isa.* 29 13 b) *Ier.* 48.10 b) 1 *ioan.* 3 21. c) *Deut.* 16.19, d) *ibid.* 27.26.

pro foribus importunè munus obtrudentem. *Nondum ingressus es domum & iam vis corrumpere Dominum?* De quo ita huius facti memorator Gregorius: *quo cautius fugitabat munera, ad eum vndique multiplicius confluebant: hoc quoque fere vbique accidit ut fugiãt dum quaruntur, dum fugantur accelerent.* Immoderatis etiã tributis onerari magis subditi, quam ornari ditarique potentes solent. a) Verba Isidori sunt. *Magnum scelus est rẽ pauperũ præstare diuitibus, & de sumptibus inopum acquirere fauores potentum: arenti terra aquam tollere, & flumina quæ non indigent irrigare* b) quæ quod accepêre nimium, in mare refundunt. *Væ illi qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum* c) lutum est, neque in usum, sed onus tantum nostrum coacervatur, quidquid iniuriâ congeritur.

Peccant deinde contra hanc regulam, qui nec tempus nec modum in opibus congerendis seruant, quibus illud euenit quod immodicæ edacitatis hominibus, qui immoderatione nimia ciborum, stomachum obruunt, & virium sanitatisque fomentis

 vale-

a) *lib 22. moral.* b) *lib. 3. de sum. bono.* c) *Habacuc. 2.*

valetudinem infringunt. Inuenies Tantalos perpetuo lucro inhiantes sed irrito labore, qui vix sibi imperare possunt, ut semihorulam suis occupationibus diurnis suffurentur, eamque diuino sacrificio præsentes impendant, ut matutinum vespertinumque tempus, ante & post labores, Deo consecrent; ut sacris Ecclesiæ diebus ab opere profano manum contineant, tanquam ad metalli fodinas mancipati, sed Danaidum dolio hauriunt opes, nunquam implentur; aut certè, quod minus tormentum non est, partis non fruuntur. a Nimirum *qui seminat in carne sua, de carne metet & corruptionem.* b Convertimini potius à vijs vestris prauis, & ambulate vias Domini, *seminate vobis in iustitia & metite in misericordia.* c *considerate coruos, Deus pascit illos, quanto magis vos?* d quisquis es, dic cum Davide. e *Deus Deus meus ad te de luce vigilo* f *Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet.* Cum eodem expertus fatebere: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* g.

Nec verò hæc difficilia futura sunt, cui iam antè persuasum, hac potissimum via ac ratio-

a) *Gal.* 6. b) *Osee* 10. 12. c) *Luc.* 12. d) *Ps.* 62. 2. e) *Ps.* 54 23. f) *Ps.* 72. 28.

ratione diuitias parari, Nam longè duriora sunt quæ mundus opes sectantibus præcepta scribit, si cum ijs, quæ hactenus exigo, comparentur. Inter quot terræ marisque discrimina miserrimi illius assectæ iactantur? Hic durissimam agricolis, incertam mercatoribus, calamitosam prorsus militibus, anxiam curarumque plenam omnibus vitam præscribit. Lex una, & facilis est Christi. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & cætera omnia adjicientur vobis.*

QVÆSTIO VII.

An homini unquam desint necessaria, qui diuinæ se prouidentiæ totum fidenter committit?

QUi hanc ad animum suum cogitationē admittit, quam regius Psaltes habuit, dum caneret: a) *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea*: hunc; vel negligentem rerum suarum prouisorem Deum facere, necesse est, vel certè etiam admittere, quodlibet vel sorum ipse, ab ultima terræ centri arenula, ad supremum cœlorum ac Cherubinorum Angelorum curam administrationemq; prorsus omnem suscipiat: ita quidem, ut siquid

C 6 sit.

a) *Psal. 49. 12.*

sit, quod citra extraque Deum authorem geratur, hoc manifesta contradictione sententiæ, & illius verè sit, per quem facta sunt omnia, & illius esse non possit, qui non curat omnia. Tam verò inter homines nemo deliravit hactenus, qui perversa adeò atque adynata de suo creatore pronuntiaverit. Diversa planè Sapientis olim ad Deum vox audita est; cum, exclamaret *non est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus*. a Quam veritatem, cum ex ipso hausisset sapientiæ fonte Christo Apostolorum Princeps, suis imprimere discipulis conatus est, ut manis noxiæque curæ vacui, illius sese providentiæ toti submitterent, cui cura est de omnibus. *Humiliamini*, inquit, *sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* b.

Et si tantorū nobis hac in re deesset virorum authoritas, ipsa ratio manifesta luce cæcas mortalium perstringeret mentes, apertaque veritate convinceret. Iuvat hic in suis Institutionibus audire Lactantium. c *Cum mundum*, inquit, *omnesque partes eius videmus, quemadmodum mirabilis ratio gubernet*.

a) *Sap*. 12, 13. b) 1. *Pet*. 5, 6. c) *lib*. 7. c. 1.

bernet, cum cœli temperatio, & aqualis in ipsa varietate cursus astrorum, luminumque cœlestium, temporum constans ac mira descriptio, terrarum varia fecunditas, plana camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas ubertasque silvarum, fontium saluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulentia & copiosa interfusio, ventorum diversa & utilis aspiratio, cateraque omnia ratione summa constent; quis tam cacus est, ut existimet sine causa esse facta, in quibus mira dispositio providentissimæ rationis elucet? si ergo sine causa nec est, nec fit omnino quicquam, & providentia summi Dei, ex dispositione rerum, & virtus ex magnitudine, & potestas ex gubernatione manifesta est. Hebetes ergo & insani qui providentiam non esse dixerunt. Quod si aperta Dei in subiectis homini creaturis elucet providentia, an hanc ipsi, ad omnem casum fortunamque homini, defuturam existimas? Vtor hic illo quo ad suos auditores ipse Christus usus est argumento. *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?* a) Quantula res inter creatu-

a) Matt. 6. 26.

ras Dei passer est, vix aliquod illius apud homines pretium est, sive fames premat, sive mors opprimat, sed qui ab hominibus spernitur, Deo tamen curæ est, cuius affectum Sapiens his verbis extollit. *Diligis omnia quæ sunt & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* a Rursum Christum te convincentem audi. *Nonne duo passeres asse veneunt* [en animalculi vilitatem] *& unus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro?* en curam in re vilissima Numinis. Vis abiectius tibi aliquid ostendam passere, & simul tamen non imparem Dei curam. *Vestri autem* (ita Sapientia æterna subiicit) *& capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos.* a Expende obsecro, mi Christiane, qui tantum passerculi unius sollicitudinem gerit, ut nec in terram quidem citra illius providentiam delabatur, tantam tui curam sustinet, ut capillorum etiam in capite numerum ineat, tam vigilanter custodiat, ut promittere auditus sit, *nec capillus de capite vestro peribit?* b cuius sapientia infinita est, ut latere hanc nihil tui possit, immensa est potestas, *ut attingat à fine usque ad finem*, bonitas incircumscripta, ut in omnibus tibi optimè velit: an tu hunc

a) Sap. 11. 25. b) Matt. 10, 29. c) Luc. 21, 18.

hunc talem tantumque Dominum, qui patris erga liberos curam affectumque superat, aliquam re sollicitudinem tui providentiamque deposuisse existimabis? Hoc si sentias neque Dei magnitudinem nosti, neque tuam exilitatem. Non credes asserenti *sine me nihil potestis facere*? Nihil est quod ipsius providentiæ subtrahas, nihil quod directioni: nihil, nihil. In maxima, minima, media, ipse & moderator, & actor influit. Dei magis est quod agis, siquid agis, quam tuum. Tu nihil sine illo, ille sine te potest omnia.

Quid ad hæc reponis? an exceptionem nosti, quâ ille tecum (si peccatum tollas, quod tamen deficiendo committitur) non operetur? quâ cum alijs, ex quibus tua pendet vita ac felicitas, non influat? qua quicquam, sine certa rerum causarumque ordinatione, patiatur effluere? quâ effectui quippiam detineat æternis providentiæ regulis non circumscriptum! Attende quid dicam, si quid tibi fortuitò ad opes vel inopiam, ad gloriam vel ignominiam, citra Dei ordinationem accideret; nō tam deesset tibi Deus, quàm sibi Verbo cum Siracide absolvam: *bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas*

stat à Domino. a Abundat ager frugibus, vitis, vuis, pomis arbor? à Domino est. Surgit tempestas, & segetes sternit, uvas decutit, arbores evellit? & hoc à Domino est. moritur amicus, & locuples tibi accedit hereditas? à Domino est, irruit inimicus, & tuis tete possessionibus exuit, & hoc quoque à Domino est. elevaris opum tuarum præsidio, atque inter proceres Reipub. numeraris; à Domino est. deijceris improviso aliquo casu, seu Principis offensione, & opibus, & honore: non minus hoc ipsum à Domino est. Æternis hæc omnia providentiæ legibus fluunt ordinata. Fortunam aliam ignoramus, quàm Dei voluntatem.

Agnovit expertusque est, hanc divinam erga se providentiæ curam Hebræus Psaltes *dixi*, inquit, *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*, b Novimus qua ratione sortes duci soleant. Variæ exponuntur in officina quapiam merces, ac pretiosa quandoque cimelia, vasa argentea, aureaque, nonnunquam & integræ possessiones domum agrorumque collocatur inter hæc vrna sortium, quæ diversis hæc schedulis complexa offert; sæpius tamen vacuis deludit, quam plenis favet. Ex hac vrna quandoque fatuus ple-

a) *Eccl*. 11. 14. b) *Psal*. 30. 15.

plenam, sapiens inanem reportat sortem: spes multos fallit, paucos ditat. Quod si ille, qui sortibus præfectus est, omnes voluisset aliquo ditari munere, completis id fecisset schedulis; nunc cum vacuas apposuerit, nonnullos falli necesse est. Longè tamen Deus sortes moderatur certius, qui suis has manibus ita partitur, ut, seu plenam, seu vacuam, ipse destinatò porrigat: nihilque, velut ex vrna, fortuitò educatur. vndè disertè psaltes monet, *in illius manibus esse sortes* collocatas. Sunt inter Astrologos, qui siderum atque inprimis Planetarum influxioni in vitam fortunamque mortalium plurimum tribuant, ideoque ut futuram hominis sortem, felicemque aut infelicem vitæ decursum explorent, observare nativitatis cuiusque tempus assolent, ut sub cuius potissimum Planetæ dominantis influxu hanc lucem viderint, notent, ac secuturæ ex hoc vitæ fortunam metiantur. Hinc alium stivæ, alium sceptro, alium sterili thalamo, alium fecundo destinant. alteri opes, aut honores: alteri paupertatem, aut ignominiam deputant. Sed hi plerumque & fallunt, & falluntur. Veriorem ego longè in Christi Schola illius fortunæ ex astris prouidentiam reperio. Apocalypticus ille Astrolo-

gus

flat à Domino. a Abundat ager frugibus, vitis, uvis, pomis arbor? à Domino est. Surgit tempestas, & segetes sternit, uvas decutit, arbores evellit? & hoc à Domino est. moritur amicus, & locuples tibi accedit hereditas? à Domino est, irruit inimicus, & tuis tete possessionibus exuit, & hoc quoque à Domino est. elevaris opum tuarum præsidio, atque inter proceres Reipub: numeraris; à Domino est. deijceris improviso aliquo casu, seu Principis offensione, & opibus, & honore: non minus hoc ipsum à Domino est. Æternis hæc omnia providentiæ legibus fluunt ordinata. Fortunam aliam ignoramus, quàm Dei voluntatem.

Agnovit expertusque est, hanc divinæ erga se providentiæ curam Hebræus Psaltes *dixi*, inquit, *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*, b Novimus qua ratione sortes duci soleant. Variæ exponuntur in officina quapiam merces, ac pretiosa quandoque cimelia, vasa argentea, aureaque, nonnunquam & integræ possessiones domuum agrorumque collocatur inter hæc vrna sortium, quæ diversis hæc schedulis complexa offert; sæpius tamen vacuis deludit, quam plenis favet. Ex hac vrna quandoque fatuus ple-

a) *Eccl.* 11. 14. b) *Psal.* 30. 15.

plenam, sapiens inanem reportat sortem: spes multos fallit, paucos ditat. Quod si ille, qui sortibus præfectus est, omnes voluisset aliquo ditari munere, completus id fecisset schedulis; nunc cum vacuas apposuerit, nonnullos falli necesse est. Longè tamen Deus sortes moderatur certius, qui suis has manibus ita partitur, ut, seu plenam, seu vacuam, ipse destinatò porrigat: nihilque, velut ex vrna, fortuitò educatur. vndè disertè psaltes monet, *in illius manibus esse sortes* collocatas. Sunt inter Astrologos, qui siderum atque inprimis Planetarum influxioni in vitam fortunamque mortalium plurimum tribuant, ideoque ut futuram hominis sortem, felicemque aut infelicem vitæ decursum explorent, obseruare natiuitatis cuiusque tempus assolent, ut sub cuius potissimum Planetæ dominantis influxu hanc lucem viderint, notent, ac secuturæ ex hoc vitæ fortunam metiantur. Hinc alium stivæ, alium sceptro, alium sterili thalamo, alium fecundo destinant: alteri opes, aut honores: alteri paupertatem, aut ignominiam deputant. Sed hi plerumque & fallunt, & falluntur. Veriorem ego longè in Christi Schola illius fortunæ ex astris prouidentiam reperio. Apocalypticus ille Astrologus

gus Joannes vidit similem filio hominis, qui *habebat in dextera sua stellas septem.* a In dextera nempe Dei septem stellæ Planetarum versantur; quâ ipse vitam nostram, tanquam author felicitatis omnis moderatur. *Septem stellæ*, ait Christus, *Angeli sunt*, (sive Episcopi) *septem Ecclesiarum*, ut si diceret, hæc illorum dignitas meis in manibus est, largior cum libet, & adimo. *Sortes*, & gloria illorum, *in meis sunt manibus.* Sæpe Regi alicui potenti, cuius, vel favore elevaris, vel odio belloque premeris, tuam sortem imputas; at falleris: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud.* b Etenim ut de cælo *pluit super iustos, & iniustos*, ita opes & inopiam super mortales dividit; ut pluvia alibi cum vbertate fecundat agros, inundat cum sterilitate alibi; ita per Regum liberalitatem alios Deus ditat; alios per eorum exhaurit avaritiam. Non sine experientia David professus est. *Deus, in manibus tuis sortes meæ*: tenui opilionis fungebar munere, fratribúsque in servitutem deditus alimenta pugnaturis subvehebam, & tu mihi subiecisti vires & animos, ut contra formidandum Israëlitis Goliathum,

a) *Apoc.* 1. 16. b] *Prov.* 21. 1.

filium, funda lapillisque paucis armatus, & pugnam aggrederer, & victoriā reportarem, & gloriosum pœna triumphans audirem: ex opilione repentè exercitatus miles, ex milite exercituum Imperator. Iam sacro perfusus à Samuele oleo, atque in Aula facilè Princeps, Regij filij intimum demeritus amorem, favoremque plaudentis ad plures victorias populi, Philisthæorum terror, & Regalis filiæ sponsus, ut subitò evectus, ita deiectus subitò; nuper Sceptro, ad gloriam mox gladio ad ignominiam destinatus, exul Aulæ, insidijs varijs petitus, uni obiectus discrimini, amenti ac propudioso similis homini, Philisthinorum servus quoque, quorum antè fueram Dominus, nihil præter spem retinui reliquum, quòd viderem *tuas in manibus sortes meas.* Neque spes fefellit in te confidentem, quem ex ore Moysis dicentem acceperam; *ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo.* a Per hos rerum casus, atque indigentiæ exercitamenta, ad summas opes maiestatemque Regum denique eductus sum. Te uno, ô Deus, fortes vitæ fortunæque meæ moderante. Tanti est divinæ sese providentiæ totum committere.

Deni-

a] *Deut.* 32. 39.

Denique, audi mi homo, quam certam tibi ausim promittere Dei ad omnem necessitatem providentis curam. Deus cum te creare & conservare hoc in mundo constituit, simul illam sibi necessitatem volens imposuit, ut alimentis ad vitam requisitis provideret. Qui equum sibi comparat, imprudens sit, nisi de pabulo prospectum eat. Qui servum conducit, servum alat necesse est tantoque id præstet maiori cura, quantò gravioribus illum rebus administandis præfecit. Deus nec lilium quidem agri creavit, cui hanc curam non visus sit impendere, & existimas quod illam tibi possit denegare; Sapientia te æterna hoc argumento prorsus stringit. *Considerate* ait, *lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus sicut unum ex istis. Si autē fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei* a) Voces has (*quantò magis*) te velim altius expendere. Nempè super lilia es, mi homo, qui præes agris hortisque integris, super lilia qui ipsis dominaris animantibus, super lilia, qui ipsis sideribus cœlisque heres destinatus; his tamen univer-

a) *Matt. 6. 28.*

universis Deus abundè prospicit, *quantò magis* eorum Domino provisurus. Non ignorabat hæc purpuratus ille Hebræorum vates; qui, cum admiratione tantæ circa hominem Dei providentiæ, exclamat. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* a An existimas quòd hunc, quem constituit super omnia negligere possit, dum curat omnia? Ille hominem præcreat, *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum?* b Deseritur à parente suæ prolis immemore corvorum pullus, à Deo non deseritur, ille qui coegit ad Israëlitarum in deserto pascendam ingluviem coturnices, hic cogit ad nidum muscas, ut præsidio destitutis, & præ fame hiantibus pullis in venatum cibumque cedant. Non destituuntur in necessitate corvi, & homo sit, qui se destituendum reformidet? Maternam omnem curam Deus in homine alendo vincit, qui Patris iuxta Matrisque affectum implet. Unde verba hæc sunt Dei, pro nobis tam amanter solliciti, quæ vel desperatissimum possint hominem in spem

a) *Psal.* 8.5. b) *Psal.* 146.9.

Principes, totidemque populorum Domini, per sua Castella atque Oppida divisi a prodierint. En quātum profuerit, desertum à Matre atque ab omni humano solatio ad Deum Ismaelem confugere, *exaudivit enim vocem pueri Dominus*, quem Mater deferebat. Certa, indubitata à Deo auxilia suppetunt, coniuret in nos mundus, adversetur Dæmon, amici cedant, parentes destituant; nunquam à Deo deseritur, qui Deum non deserit.

Quare hæc nobis denique regula constituenda est. Cum providentiæ divinæ sit, ita homini, tanquam creaturæ suæ prospicere: ne quid ipsi ad necessitatem desit: suam homo sollicitudinem in illum proijciat, cui cura est de omnibus, & nihil defuturum est.

a) *Gen. 25. 16.*

QVÆSTIO VIII.

Quo ordine, quaque moderatione versari labor noster, in iactu profansque debeat: ut necessariis opibus non destituamur.

Nec otiosam Deus in nobis fiduciam, nec sollicitum nimis laborem postulat. Et otium, & labor prudentem moderatio-

nem, ut diximus, requirit. Novimus quàm Deo invisus fuerit ille Nabuchodonosoris labor, quo magno studio impensisq; Vrbem Babylonem è ruderibus excitatam, ad pristinum decus splendoremque erexit: nam, cùm gloriosis ista iactaret vocibus: *Nonne hac est Babylon Civitas magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* a) offensus tam arroganti Deus homini, qui suæ hunc successum industriæ totum vendicaret, adeò detestatus est Regis superbiam, ut, *cum sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; regnum tuum transibit à te: & ab hominibus eijcient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te: donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cui voluerit det illud.* Si tam infœlicem sortitur exitum, tam Deo invisus est labor iste mortalium, si totum rerum nostrarum successum suæ vendicat voluntati, cur spes resque nostras, laboris curarumque vacui illi non consignamus? Quid? quod omnis sæpè irritus labor noster concidat, & post multum operis curarumque, tempestas aut adver-

a) Dan. 4. 27.

adversitas evertat subita, quidquid longo studio est comparatum? Ita Deus Iudaici populi labores risit, speratamq; ex diligenti agricultura messem sustulit, per Aggæum Prophetam, hanc illis industriam successu suo destitutam exprobrans, *seminastis, ait, multum, & intulistis parum: comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit misit eas in sacculũ pertusum.* a Tam igitur fallax si mortaliũ labor sit, quin stivam & ligonem projiciũt agricolæ? quin operarius vineã deserit de mercede incertus? præsertim cùm unius Dei, & cura, & arbitriũ sit, vel abundare hominẽ, vel deficere. Certè hæc adeò perculêre Sapientis Ecclesiastæ animũ, ut dixerit: *Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus, casumque in omnibus* b Videas festinato pede currentem præcipitari, atque ab alio tardiore, in opibus atque honore occupando, præverti. Videas bene instructum ab omni apparatu militem spe locupletandæ fortunæ ad bellum proficisci, exhaustũ & spoliatum omnibus domum reverti; dum nudus alius rerum suarum

D rum

a) *Agg.* 1, 6. b] *Eccl.* 9. 11.

rum desperatione, eodem profectus, magnis opulentus spolijs in patriam se recipit. Videas sapientem ac modestum præ reliquis hominem, pane suo propemodum destitui, quando stultus quispiam audaxque Aulæ Principumque favore nixus, lautâ mensâ delicijsque fruitur. Videas eminentem doctrina virum tenuem capere ex divitijs scientiarum fructum, rudes alios ad magistratus & officia penetrare publica, magisque loculis, quàm ingenio abundare. Erit inter artifices, qui antelucanis serisque fatigetur laboribus, exiguum tamen operæ emolumentum capiat, cùm alius perfunctorio intentus operi, arte magis, quàm labore ditetur. ita ut tempus casusque, quæ in Dei manibus sunt, vertere omnia susque deque existimanda sint. Ut quid igitur mortales inutili cura studioque affliguntur, quando in unius Dei manibus atque arbitrio sunt omnia, qui longè à nostris semotus iudicijs, illa quæ vult ipse, præter mortalium plerorumque spem atque exspectationem, exequitur. Esau primogenitum paterna benedictione privat, Jacob extraneum apud Labanum repentè ditat. Nunquid in vanum nostris obnitimur studijs, quando Dei *sapientia attingit à fine usque ad finem*

nem fortiter? hoc est (ut D. Bernardus de gratia & libero arbitrio disserit) *à cælo usque ad inferiores partes terræ, à maximo Angelum usq; ad infimũ vermiculũ.* vel, *ab ortu creaturæ usque ad finem destinatum à Creatore; sive in quem vrget natura, sive quẽ accelerat causa, sive quem concedit gratia. Attingit autem fortiter: dum nihil horũ euenit, quòd non, prout vult, potenti præordinat providentia.* Deum igitur, ita velle atq; ordinare, summa lex est rerum omnium, frustra omne consilium hominis, frustra conatus omnis laborque est, frustra quæsitus exitus. Daniel in lacum includitur Leonum ipse futurus pabulum. a Ita visum hominibus, & quis aliud exspectet, dum Leones stimulante fame esuriunt, innata crudelitate hominum vitæ insidiantur, Daniel inermis, imbellis, tremulus ante eorum oculos procumbit? sed Deo aliud placuit, Danieli ab inexspectato baiulo cibus subministratur; Leones famelico stomacho coram se iuvenem impunè epulari intuentur: alij Leonibus in lanienam reservantur, qui Danielem eodem destinaverant: ille à lacu ad opulentem Aulam transmigrat, hi

a) *Dan. 6.*

ab Aula in lacum exitiumque præcipitantur. Vnde hæc tam admirabilis catastrophe, nisi, quia *non est consilium contra Dominum*, a *neque est, qui eius possit resistere voluntati?* b

Verùm licet eiusmodi illa sint, quæ nimiam in nobis meritò curam damnent, tamen omnem à nobis sollicitudinem laboremque nequaquam tollunt. Lata semel à Deo sententia, nunquam retractatur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* c Et hæc adeò inter Ethnicos quoque invaluit opinio, ut vulgato illorum feratur axiomate,

Dij laboribus omnia vendunt.

Nota est hominis à Domino suo destinati ad agrum à lolijs purgandum fabula. Venit ille, utque ingentem spectavit campi planiciem, vrticis ac senticetis expurgandam, laboris temporisque insumendi tædio atque horrore percussus Deos supplex præcari cœpit, ut tanta agros zizaniorum illuvie liberarent. Audijt è cœlo Iupiter supplicem, iussitque adhibere manus operi, fore ut deinde votis obsequeretur. Rectè, ut quid enim postules auxiliatorem tibi Deum fieri, qui nec proprias tibi manus opem-

a] *Prov.* 21.30. b) *Esth.* 13.9. c] *Gen.* 3.19.

opemque velis commodare. Volentem Deus adiuvat, surgentem erigit, promovet currentem. nobiscum operatur ille, sed non sine nobis. Quid est vita nostra, nisi stadium pro bravio currentium, ubi nemini est quiescendum? Hoc tantum attendendum est, cum signum mappâ datur, ne cunctis nec antevertas, priusquam detur. Vtrobique peccatur, & cum prævertis iustum currendi tempus, & cum sequeris: neutris datur bravium. Qui suo currit, & præcurrit tempore, capax est. Vis planius rem dicam? *Omnia tempus habent*, a tempus est quod Deo ritè colendo debeas, tempus quod tibi providendo, tempus quod proximo. Quod si suũ cuiq; tẽpus attribueris, non nisi signo dato procurres ad braviũ. Hęc tempora, si minus divinæ leges, ipsa tibi ratio clarissimis veritatis radijs, tanquam literis, non obscurè designabit.

Primum omnium præceptorum est, quod lux rationis nostris inscripsit animis, quod Ethnicus iuxta ac Christianus agnoscit, *Deum cole*. Cuius præcepti explendi, cum rursum tempus aliquod inquirendum sit, ut quid quantumque Deo tribuendum sit, constet. David nobis viam tempusque

a] *Eccl. 3. 1.*

monstrat. *Memor fui tui super stratum meum in matutinis*, inquit, *meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* a In quem locum Chrysostomus ita disserit, *opus fuerat per diem hanc habere memoriam Dei, quia verò solliciti semper estis, & sic in secularibus distrahemini, saltem tunc memores estote Dei super stratum vestrum, & in matutinis meditamini in eo. Si enim in matutinis Deum nobis propitium fecerimus, nihil habebimus inimicum.* b Et Deus hanc nobis vicissitudinem dierum noctiumque, hanc laboris quietisque alternationem, non alio magis fine destinasse videtur, quàm ut animum à curis ad vitæ huius vicissitudinem avocatum sisteremus authori suo, rerumque omnium Dominum ac moderatorem, ut temporum, ita vitæ mortisque veneraremur. Hinc nox somnusque curas interpellat, serenusque & pacatus à somno, velut morte quadam, animus ad vitam redit, nihilque prius habere debet, quam Domini autorisque sui meminisse. Hæ Deo primitiæ ex nobis debentur, quas cum sibi in rebus olim corporalibus, quantò magis in spirituali vita nostra animoque requirit. Animadvertit idem aureus ille, qui supra Orator, cum sic ad

a] *Psal 62,6.* b) *Hom.41.ad pop.*

ad populum loquitur. *Non propter hoc facta est nox ut solum cessemus, seu dormiamus. Solent artifices operari & mercatores, Dei autem Ecclesia medijs consurgit noctibus ad orandum. Surge & tu anima tunc enim & purior, & subtilior, & agilis magis est, & ipsa tenebra, multumque silentium ad compunctionem & meditationem animum inducunt.* a Primo itaque hic ritè laborantium cura est, Deo primitias operum ac diei consecrare, quod ut loco maximè opportuno præstes, eundem quem cœpisti Chrysostomum Preceptorem optimum iuverit auscultasse. *Etsi*, inquit, *domi orandi facultas datur, fieri tamen non potest, ut domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitatus ad Deum refertur. Nec pariter exoras, cùm solus Dominum obsecras, atque cum fratribus tuis. Est enim in hoc plus aliquid, nempe concordia, conspiratio & unio charitatis, & Sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexa simul in cœlum evehantur.* b

Hic igitur primus præcipuusque labor esse convenit in Deo fidentium, primas ad

D. 4 Deum

a] *Hom 42. ad pop.* b) *Hom. 3. de incomp. Dei natura.*

Deum curas hoc studio convertere, deinde ad sui sese muneris sollicitudinem transferre: non, ut à Deo prorsus abeant, sed ut ipso duce atque auspice operentur. Quod iuxta Apostolum est *semper orare & nunquam deficere.* a Ita David Deo sociatus ausus est dicere. *Si habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* a Neque sola oratio, ut dixi, sufficit. Cùm & Apostoli, ad instructionem aberrantis populi destinati, tot itineribus distenti, periculisque obiecti, ut vix aliquid ad laborem vacui temporis suppeteret, tamen de se profiteantur, *laborantes operamur manibus nostris.* ac si dicerent, quòd Deo & proximo non impendimus tempus, hoc labori dedimus ad victus necessitatem impenso. Novimus enim illud Davidicum: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene erit tibi.* b Veteres, ut providentiam cum ipso iungendam operè traderent, manum in imagine proponebant oculatam. Divinus oculus, qui universa contemplatur, totiq; vitæ nostræ prospicit, in nostris est manibus. Quod si hæ nobis non defuerint, *Deus providebit.* Romanorum olim Imperatorum ut Reusnerus

a) *Psal.* 138.7. b] 1 *Psal.* 127.2

nerus obſervavit, nonnemo hoc ſymbolum uſurpabat, *laboremus*; alteri familiare erat, *Deus providebit*. Vterque aliquid dixit, neuter omnia, cõiungamus utrumq; & ſalva res eſt. Et quod Apoſtolus in graviſſimis, quos pro Eccleſia ſubijt laboribus, inquit: *non ego, ſed gratia Dei mecum*, hoc in omni profuturo nobis labore locũ reperit. Nec igitur ſoli Deo citra tuum laborem fidendum eſt, nec labori tuo citra Deum. Non peccaſſet Nabuchodonoſor, niſi gloriatus eſſet, ſe ædificaſſe *in robore fortitudinis ſuæ*; ſed ita, ut poſtea factum, iuncta Dei auxiliantis cognitione orationem temperaſſet. Planè enim digna Rege confeſſio eſt: *magnifico, & glorifico te, Domine, quia iuxta voluntatem tuã facis, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ.* a Quam diverſa hæc ab illa ſuperiori oratio eſt! hæc divinæ omnia voluntati, illa humanæ induſtriæ tribuebat: illa mortali homini vendicabat excitatæ vrbis gloriam, hæc ſupremum Dominum cæliqueac terræ moderatorem veneratur. tantùm in ſua illa calamitate profecit ad ſapientiam.

Verùm quid Iudæos, illâ, quam Aggæus ſupra memorat, maledictione afflixerit, ut

a) *Dan.* 4. 32.

facta operosè semente messis falleret, cibus potusque deficeret, vestimenta malè tegerent, merces intercideret, operæ pretium erit, ad cautelam, observasse. Non dissimulat idem Vates, dum his illos verbis Dei perstringit: *respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: intulistis in domum, & exsufflavi illud: quam ob causam? dicit Dominus exercituum. Quia domus mea deserta est, & vos festinastis unusquisque in domum suam. Propter hoc prohibiti sunt cœli, ne darent rorem: & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.* a Hæc expendere illos æquum est, qui has sibi malè interire horas arbitrantur, quas in Dei domo, atque oratione expendunt. Nullus labor nobis fertilior est, ad hunc tota indies familia cogenda esset, ut suus reliquo labori succus fructusque constaret. Multi sine successu operantur, quia sine Deo. Multi cùm temporali felicitate gaudeant, destituuntur æterna; quia domus Dei deserta est. alterutra Deus clade sui oblitos

ferit,

a] *Agg.1.9.*

ferit, aut præſenti, aut æterna.

Cæterùm, quod Danieli citra laborem curamque propriam delatum ſit per Habacuc, Angelo vectore, prandium, dignum fateor memoratu cogitatuque exemplum eſt. Nam vbi fiducia non deſtituit animum, etiam citra laborem mortalium, Deus neminem deſtituiſſe compertus eſt. In has aliquando anguſtias res noſtras Deus conijcit, vnde propria induſtria emergere non liceat, vt experiatur quantum ipſi tribuamus, doceatque humanis fruſtra viribus mortales ſubniti. Elias ad torrentem Carith ſolitarius eſurit, & famulantes Deus corvos ſubmittit, qui hominibus deficientibus, carnes panesque ſubminiſtrarent. Verùm cum & hic torrens ſiccatus in communi ariditate negaret potum, ad viduam Sarepthanam deflectens, nec aquis, nec oleo, nec hydria farinæ imminuta paſcitur. a Rurſum Iezabelis tyrannidem fugiens, cùm in deſerto ſub Iunipero arbore, fame ſitiq; langvēs, *peteret animæ ſuæ, ut moreretur*, Angelus cibi potuſque ſubminiſtrator adſtitit, qui *comedit & bibit*, *& ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & noctibus*. b Idem igitur Deus qui Iſmaëlem in ſolitudine,

a] 3. Reg. 17. b] Ib. c. 19.

ne, Danielem in lacu, Eliam inter tot discrimina aluit, tibi in pari necessitate defuturus non est, modò tuis diffisus viribus [quod in his Deus anguſtijs inprimis ſpectat] Deo totus innitaris. Et cū Davide ſentias. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* a aut cum Iobo auſis dicere: *etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* b Ita planè Deum illum, cui cura eſt de omnibus, ad tui auxilium ſemper inflectes, citiusque de cœlo Sol deficiet, quàm Deus tibi. *In timore enim Domini fiducia fortitudinis, & in filijs eius erit ſpes, gloria & divitiæ in domo eius.* c Hoc expertus totus populus Iſraeliticus in deſerto eſt. Panis deficit, & Deus illis de cœlo manna ſufficit: tantâ profuſum copiâ, ut nulli deeſſet, tantâ benevolentiâ, ut omne ciborum delectamentum haberet. Aquarum premuntur inopiâ, & à petra hanc petere iubentur, hæſitante imprudēter Moyſe, cum populo, ut ſi is, qui de cœlo panem, de terra non poſſet aquas fundere. *percuſſit verò petram, & fluxerunt aquæ.* Carnes à laſciviente etiam multitudine appetuntur, Deus tamen præſtat, ac *pluit ſuper illos, ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* d

Tan-

a) *Pſal.* 22.1. b) *Iob* 13.15. c) *Prov.* 14,26 d) *Pſal.* 77.27.

Tanta erat Dei erga hunc populum cura, ut postquam semel illius sese regendum commisisset providentiæ: nunquam eidem, ne ad delicias quidem, & iniqua postulata defuerit. Cæterùm vbi divinæ voluntati ad honesta quæque hic sese Deo submisit populus, sedit *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* a Hæc Dei tam erga singulos, quàm vniversos providentia neminem fallit, in ipsum confidentem. Hoc David agnoscit ac profitetur. *Oculi*, ait, *omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* b Quod utinam pleriq; mortalium expenderent, atque à nimio terrenarum rerum studio, cor suum ad Deum converterent, de quo D. Gregorius c rectè advertit & asserit; *Sic Deus intendit singulis, ac si vacet à cunctis; & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis.*

Noverit itaque homo, quicunque ad opes huius vitæ se dignas adspirat, Deo sibi ante omnia fidendum esse, sed ita, ne, cum potest, deserat laborem: quia cuique illud Adæ de terra dictum est: *in laboribus comedes*

D 7

a) *Isa.* 32. 18. b) *Psal.* 144, 16. c) *Lib.* 25. *mor. c.* 19.

des ex illa cunctis diebus. a At rursum ita cuique laborandum est, ne sibi suoque labori inprimis nitatur, sed Deo fortunam successumque tribuat. Nam, ut dictum est: *benedictus vir, qui confidit in Domino.* b ita ab eodem Propheta hoc fulmen intentatur: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum* c Stulta illa mendici hominis vox fuit, qui cum impleslet corrogato iam pane manticam, sublata hanc manu quassans inquit, *iam spero.* Magis etiam stulta illius Divitis, qui postquam luculenta messe fretus amplificaret, impleretque horrea, animæ suæ dicebat: d *Habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare:* audire coactus est. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, & quæ parasti cuius erunt?* Ita nonnunquam Mercator sedulus, parum Dei memor, suâ fisus industria, opes cumulat, officinam implet mercibus, auro ærarium, fortunæque augendæ inhians, terræ marisque subit discrimina, & quandoque vni classi, ventoque, vni cambio, aut nundinationi, aut mutuo se suamque fortunam credit; dum repentinis casibus, hic illicque destitutus, ex locu-

plete

a] *Gen.* 3. 17. b] *Ier.* 17. 7. c] *Ibid. v.* 5. d) *Luc.* 12, 19.

pleteindigus, ex fortunato miser, domo, foro, existimatione suâ cedere cogitur, lamentabilem ruinam ægre sustinet, tam animo deiectus, quàm elatus antea, tam contractus modò pudore, quàm prius inflatus arrogantiâ. Qui si felicitatem suam didicisset ferre moderatius, infelicitatem sustineret fortius; si in illa Deo nixus substitisset, in hac non deficeret. Non tam repente animo locoque deturbatus cederet: nosset eundem Deum esse, qui & sanet & vulneret: qui, ut defluens mare suis æstibus, ita & fortunam suis opibus posset reducere. Tanti refert, utrum in Deo, an in Mammona spes nostræ collocentur.

Alij non minus insano studio noctes diesque laboribus dedicant; vixque sacros Deo integrè dies partiuntur: quos tamen nihil videas ad lucrum opesque proficere, frustra sudare, angi, torqueri. Quæ verò causa, nisi quia *ponunt carnem brachium suum*, ideoque maledictione illius sese onerant, qui *implet omne animal benedictione*. Ut igitur benedictus in opibus fortunisque tuis vivas, hæc tibi lex æterno mentis decreto scripta esto. Labores suo tempore, in sacris profanisq; requisitos, Deo duce atque auspice peragam, de reliquo certus, quia Deus providebit. QVÆ-

QUÆSTIO IX.

Quantum opum diuiti ad felicitatem necessarium sit, quomodo illud obtinendum?

Reliquum videtur, ut modus mensuraque certa præscribatur facultatum quã diues quis censeri possit. Verùm hanc supra statui, cum illum omnium rectè sentientium suffragio diuitem pronuntiaui, qui haberet quantum satis est; supra hanc mensuram, quidquid fuerit, non faciet ditiorem, quod omni vasi iam pleno affuderis, supervacaneum est. Imo & esca stomacho iam pleno ingesta nocet. Ita prorsus habet in opibus. quod in his abundat, hoc noxium est, in otium luxum, luxuriã, profusionem, superbiam, avaritiam, vim offensionemque aliorum vertitur. Quocirca opes illæ non sunt, quæ opem non præbent, sed premunt; Aristippi pronunciatum est *ut calceus pede maior ineptus est ad usum, ita & possessio copiosior.* a Nimia onera naueni non raro mergunt; intenti legendis milites spolijs victoriam non raro vitamque perdidère. Tarpeia virgo armillas in proditionem pacta sub armis occubuit. Reijcienda igitur superflua, ut faciunt qui in agone certant; cum non tantum

a) *Stobæus serm.* 92.

tum non prosint habentibus, verumetiam magnopere obsint. *si calceamenta*, inquit Chrysostomus, *quæ supra mensuram pedibus adegerit; itinere certè prolixiori impedimenta sentiet, & vestimentum induens corporis mensuram excedens pari modo implicabitur; atque superfluum ubique, in eo quod satis est, ad opportunitatem, inutile est. In pecunia multo fortius id evenit, & qui supra id quod satis est habent, non modo in ipsa sufficientia, sed & in necessarijs quibusque impediuntur,* a Quare D. Basilius superfluis nos opibus, tanquam noxijs liberandos censet. *Putei,* inquit, *qui exhauriuntur, melius fluunt, quibus si suas intactas relinquas aquas, fœtorem contrahunt. ita etiam divitiarum quies inutilis, motus & transgressus publico utilis est & fructuosus.* b quæ abundant opes, in commune Reipub. vel Ecclesiæ, vel pauperum bonum sunt effundendæ. Vera, inquis; sed quam pauci qui se abundare sentiant: quantò etiam pauciores, qui satis se habere existiment! si cui è gregarijs ciuibus opes affluãt, is ut Patricijs inferatur, agit: Patricius abundans, ad Nobilitatem, Nobilis ad Baronatum, &c. AD ALTIORA QUISQUE spirat. Expeditissimus per opes gradus est. *Pecunia*

a] *De pœnit. ser.* 7. b] *in Lucam.*

nia obediunt omnia. Nemo unus superflua se possidere arbitratur. Videbis Ecclesiasticos aut lautos vnius, aut plurium etiam beneficiorum fructus censusque tollere, quotusquisque ex his abundat? Affluunt amici, Nepotes, hospites; convivæque frequentes, atque ita vivitur, ut raro quicquam supersit, nisi fortè æris alieni. Nimirum conditio statusque vitæ exigere omnia visus est. Parciùs id dignitatis aut nobilitatis Vir ali vix potuit. Sunt denique alij, qui licet ad præsentem necessitatem minimè omnia possessa requirant, de futuris tamen casibus incerti, venturæ etiam indigentiæ tempori occurrendum censent, ne extema ætate destituantur. Intelligo: Plerique quos censes in illa sunt hominum classe, qui non quærunt primò regnum Dei, *qui frustra conturbantur, thesaurizant, & ignorant, cui congregabunt ea.* a Vel *qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* b vel denique *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur; relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* c Vis mutare statum atque ex humiliori ad digniorem transire; solius virtutis meritum quæ-

a) *Psal.* 38.7. b] *Iob* 21.13. c) *Ps.* 48.7.12.

quæcunque nobilitas eſt.

—Non cenſus, nec clarum nomen avorum;
Sed probitas magnos, ingeniumque facit a

Præpoſterum eſt alijs dotibus, quàm Sapientiæ & virtute cæteris mortalibus præferri velle: niſi fortè & aſinum auro onuſtum idcirco alijs nobiliorem cenſeas, quod aurum deferat. Superfluum igitur eſt, quidquid opum ad ſtatus augmentum congeritur. Vis ſcire quis dives nobilitatem mereatur? *qui poſt aurum non abijt, nec ſperavit in pecunia theſauris, quis eſt hic & laudabimus? fecit enim, mirabilia in vita ſua erit illi gloria æterna.* b Si ſapis meo vtere conſilio. Nobilitatem cum divitijs coniunctam promitto: Rex David fideiuſſor his verbis eſt. *Beatus vir, qui timet Dominum potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur, gloria & divitiæ in domo eius.* c Alia via non eſt, aut per hanc eundum, aut pereundum.

Viris Eccleſiaſticis rectè conſultum nunquam erit, niſi ea mente beneficia ſuſceperint, qua ſupra monui; non ut lautè, & ſine cura alantur; ſed ut Deo in Eccleſia ſervi-

ant.

a) *Ovid. de Pont.* b] *Eccl. 31* c] *Pſal. 11. 1.*

ant. Ita si cœperint, ac progressi fuerint certò abundabunt; Non enim fallit promissum Christi. *Nemo qui reliquit domum aut patrem, aut fratrem, aut uxorem, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* a) Ille verò non reliquit consanguineos qui bonis Ecclesiasticis illos pascit; iniurius prorsus est, & suffuratur Ecclesiæ, aut pauperibus, quibus debet superfluum. Nec qui plura beneficia possidet, unquam ditabitur; quia alienum occupat; nisi illum aut manifesta necessitas propria, aut commune Ecclesiæ bonum excuset. Panis Ecclesiasticus manna est Israëlitarum, quidquid supra mensuram colligitur, deperit. His omnis avaritia sine fructu est, etiam cum pernicie. Invenies facilius inter plura beneficia egentem, quam in solo Ecclesiasticum pauperem. Stulti parentes, qui, ut nobilitatem tueantur, filiosque volentes nolentesque Ecclesiæ addicant, pluribus illos beneficijs, tanquam escâ propositâ, invitant. Sibi illi, filijsque præsens exitium instruunt; de temporalibus provident, futurorum non admodum soliciti. Hic certè status alio longè proposito ac fine, & primùm institutus à suis auctoribus

a) *Marc.* 10, 29.

bus est, & à possessoribus adiri debet. Ad hunc, sicubi sola adlegatur nobilitas, pietatis, non generis tuendi, consilio factum. Quod vbi amplexa fuerit, *adijcientur cetera* etiam vnius beneficij possessori. *Qui*, sine ac nomine diverso, *amat divitias, fructum, non capiet ex eis. Vbi multa sunt, opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* a) Quid homini Ecclesiastico superfluæ opes, nisi ad libertatem luxumque, cum suum, tum amicorum alendum prosunt? Ah! ne aliquando cogantur dicere: *divitiarum iactantia quid profuit nobis?* b) Ausculta & crede exemplo, quod ex Cantipratano Episcopo Cameracensi adijcio? qui refert Parisijs inter Doctores Theologos se præsente Anno 1238. de pluralitate beneficiorum acriter disceptatum, conclusumq; ab omnibus: duo beneficia, dummodo alterum quindecim librarum Parisiensium esset, cum salute animæ ab uno possessore coniungi non posse. Idemque ante triennium vnanimi illic consensione statutum asserit, Philippo Cancellario adversante, qui cum brevi post periculosè æger ab Episcopo Parisino Guilielmo moneretur, ut à sua opi-

one,

a) *Eccl* 59. b) *Sap*. 5.

one,& pluribus, quæ tenerent, beneficijs cederet, abnuit, experturum se dicens, an perperam sensisset? Et verò expertus docuit. Paucis à morte diebus spectabilem Episcopo se obijcit, seque damnatum lamentatur. Causam rogatus. Tres dedit. unam quod annuos fructus in pauperes non expendisset: alteram, quod plura beneficia impiobè defenderit possederitque; tertiam, quod abominabili carnis vitio adhæsisset.

O laquei diuitiarum & luxuriæ quot mortales ad inferos captiuos abripitis! Obsecro, ne beneficia existimate quæ tanto salutis discrimine conferuntur. *Quarite primum regnum Dei, & cetera adijcientur.* a De illis qui cumulant opes, ut futuris temporibus provideant, sic statuo. Prorsus indignos se facere subsidio, & paternæ Dei provisioni; cum, nec Deum audiant monentẽ, *ne soliciti sitis in crastinum*, id est futurũ; nec fidant promittenti, *nolite quærere quid manducetis, & quid bibatis. Pater vester scit quoniam his indigetis.* b Potius hanc amentiam corrigant, monentemque Prophetam

a) *Lib. 1. Apum c. 17. p 6. & Dyonys. Cart. l. 1. de i de plur. benef.* b] *Luc. 12.*

tam audiant. *Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet.* a

His igitur omnino acquiescendum est quæ statuit Apostolus. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Causam addit: *nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli. Divitibus huius saculi pracipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui prastat nobis omnibus abundè ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus.* (attende ad lectionem quæ sequitur) *facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* b Oratio aureis in charta, æternisque, in divitum animo, characteribus signanda. Quæ paucis docet, & quæ sint opes superfluæ, & quibus hæ rebus impendendæ. Sequere & felix divitijs, futurus es.

a) *Psal.* 54.23. b) 1. *Timoth.* 6, 6. & *seq.*

(·.·)

QVÆ-

QUÆSTIO X.

Quomodo opes superfluæ impendi dignè, & certo augeri lucro possint liberalitate in pauperes.

NOn longo te ducam circuitu, nec incognita hactenus tradam; repetam quod senior Tobias filio iam moriturus inculcabat. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab vllo paupere* a Adam cum Sapiente. *De primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus.* b Hortabor etiam cum Christo. *Date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* c Quid? inquis, Præceptum an consilium? Respondet pro me Ecclesiasticus. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum.* d Ad debitum teneris. Prudens negotiator, qui ad opes securas aspirat, primò se debitis alienis explicat. Tuum enim non est; quod tua necessitas non exigit, alterius postulat. *Superflua diviti,* Augustinus inquit, *necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet.* e Idem contendit Ambrosius. *Non plus est criminis habenti tollere, quàm cum possis & abundes indigen-*

a) *Tob.* 4. 7. b) *Prov.* 3. c] *Luc.* 12, 33. d) *Eccl.* 4. 8. e] *in Psalm.* 147.

digentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio & absolutio est, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis praestare cum velis. a Idem alibi non minùs disertè. *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? omnium est non divitum, debitum igitur reddis, non largiris indebitum.* b

Non igitur quae tuae necessitati supersunt, equis canibus, vestium luxui, amicorum convivijs, amplae familiae ac satellitio: non alcae, lusibus, vino ac veneri impendenda sunt, *Veruntamen quod superest date eleemosynam* c Date, non de vestro, sed alieno; date, non homini, sed Deo. De opibus dignè impensis potissimam in supremo die rationem exigit severus Iudex, has non pauperibus, sed sibi negatas asseret. *Esurivi & non dedistis mihi manducare &c. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* d En quanto obstringeris debito, non homini modo, sed & ipsi Deo quicunque supra necessitatem diuitijs

E abun-

a) *Serm.* 81 *de Divite* b) *Idem de Nabut. c.* 12. c) *Luc.* 11.41. d) *Matt.* 25.42.

abundas. Quocirca ne aliena possideas, in pauperum illa, aut Ecclesiæ Dei vsum eroganda erunt.

Iam contrahere nonnullos frontem, meque immemorem promissorum arguere video, qui non doceam, quâ via opes quærendæ, sed potius quâ lege profundendæ sint. Hanc facilem esse, neque vllo Præceptore egere. Non te fallo, regia, expedita, certissima quam trado via est ad opes non modò æternas, verùm & temporales. Imò illud affirmo, superfluæ opes, si penes te manserint, nequaquam te ijs futurum ditiorem; sin illâ, quâ dixi, liberalitate erogaris, prorsus locupletem fore. Vis probem? Iam, opinor, mecum sentis, diuitem hunc esse, qui QVANTVM SATIS possederit; alienis verò opibus nullum fieri ditiorem. Quare cum intellexeris, tuum non esse, sed egentium, quidquid superfluum possides, agnosces quoque, eo te non magis locupletem fore, quam alienarum opum custodē. Attamen fac tua esse; indulgeamus, & arcam plenam, & census innumeros, verbo, omnibus affluas: nisi cupiditatem retinendi augendique abieceris, non modo non es diues, sed pauper etiam, quia *toto mundo eget,*

cuius

cuius non capit mundus cupiditates. a Deinde illas opes quas tanti facis, nihil facit te longè ſapientior ditiorque Salomon, cum de improbo auaro pronunciat, *Eſt quaſi diues, cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper cum in multis diuitiis ſit.* b Certè quas ſupra honeſtum vſum opes poſſides, cum minus etiam proſint, quam illæ, quas nunquam poſſediſti, curarumque non neceſſarium ſint alimentum; cum fine etiam ſuo, ad quem à Deo conceſſæ ſunt, deſtituantur; omnino NIHIL, aut ſi quid infra NIHIL eſt, haberi debent. Fac tamen, & habendas in pretio eſſe: Malæ erunt, non bonæ, ſi in tuo foveantur ſinu, neque in pauperes ſpargantur. *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* c De bonis, inquit Ambroſius, *facitis mala, cum de malis bona facere debeatis: Scriptum eſt enim: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; ei ergo, qui vti ſciat, multa bona ſunt, ei qui vti neſciat, rectè mala.* d Vis hiſce frui opibus? tui illas arbitrij poteſtatiſque facito, in commune pauperum Eccleſiæque bonum tranſeant. Non amittes quidquid hac mente profuderis. Veriſſimè Sapiens: *Alij diuidunt pro-*

a) *Ambroſ. de Naboth. c.* 12. b) *Prov.* 13. 7. c) *Iacob.* 2. 13. *Amb. ſup. c.* 7. d) *Prov.* 11 14.

pria & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. a Quocirca monet Siracides. *Non sit porrecta manus ad accipiendum, & ad dandum collecta.* b Et meritò: nam *beatius est magis dare, quàm accipere. Date & dabitur vobis. Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* c An dubitare poteris, ubi tam liberalis Domini promissio est, cuius opes dando numquam exhauriantur? Putasne futurum, ut vinci ille se liberalitate patiatur? ut homo dicat plura dedi, quàm Dominus mihi refuderit? Putasne fidem illum tibi creditorem non habiturum, qui centuplum in hac vita promisit, sui gratiâ, opes profundentibus? an tuas aliquando ignorat eleemosynas? an nonnunquam deest quod retribuat ille, *in cuius manu sunt omnes fines terræ?* Audi Sapientem huius rei expertum testem. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* d Quæstuosa omnino hæc liberalitas est, & opima negotiatio inter Deum ac hominem instituta. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam red-*

a) *Eccl.* 4.36. b) *Act* 20.35. c] *Luc.* 6.38. d) *Prov.* 3.9.

reddet ei. a Multis illa magnisque periculis eximitur, quibus negotiantium fortuna fluctuat ac sæpè mergitur. Quocunque thesaurum transferes, ab omni discrimine amittendi nunquam vindicabis. Sit in arca clausus occultusque; multa tamen fiscus, multa lites, bella, casus absumet. *Patrimonium Deo creditum, nec Resp. eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit.* b Quisquis aliâ, quam dixi, arte opes cumulat, & quærendi labore, & amittendi metu cruciatur. *In tuo hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Solius beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum; nam dando accipimus, & spargendo colligimus, & bonarum actionum meritum ad authorem retorquetur,* c Magisne Chrysostomo eadem asserenti credes? *Fugaces sunt opes nostræ. Qui ergo illa continebis? largiendo continentur, retinendo defluunt.* d Vis opes collectas amittere? auarè custodi vis augere? liberaliter in egenos & Ecclesiam profunde. Nondum assentiris tot veritatis indubitatæ testibus? Iterum Sapiens compellabit, *Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit depre-*

E 3 *cantem*

a) *Prov.* 19.17. b] *S. Cyprian. de oper. & eleemos.* c] *Agapitus ad Iustinia.* d) *Chrysost. hom.* 7. *de pœnit.*

cantem sustinebit penuriam. a Supremi omnium bonorum distributoris regula est, DATE ET DABITVR. Semen est eleemosyna, in fertilem terram proiectum multiplicatur. *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum praestabit. & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiae vestrae.* b Sanè iustitiae opus est, non solius misericordiae, subuenire necessitati alienae ex tua abundantia. Debitum & alienum, non tuum, non indebitum subministras. Saepè quidem debitum charitatis, sed nec raro iustitiae. Effunde semen, si exspectas fructum. *Foecundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum.* c *vbi*, igitur, quaerit Chrysostomus, *deponemus opes nostras, quonam modo transfuga tenebuntur? distributa manent, custodita fugiunt. atque ab illis ipsis agricolis disce; nam illi quidem frumenta si domi conclusa tenent, vermium in esca amittent. Si verò dispersirint in terras, non modo custodiunt, sed etiam augent.* d

Haec, iam opinor, capies, nisi tua te nimium excaecet cupiditas, atque incredulae mulierculae in domo Tobiae similis fueris, quae

a) *Prov.* 28. 27. b) 2. *Cor.* 9 10 c) *Ser.* 25. *de verb. Dom.* d) *hom* 7. *de poenit.*

quæ vbi præsentem Dei opem, non statim in afflicto observaret viro, stultè exprobrat, *vbi spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* a) An spe sua vir optimus excidit? *Nolite ita loqui*, inquit, *filij sanctorum sumus*, exercemur nonnunquam ad patientiam. Differt aliquando, non aufert promissum, & fidelis creditor, & misericors Pater. Nostro etiam amore & commodo hæc fit dilatio, amantissimus hic lusus est inter patrem ostentantem munera, & ambientem filium, preces incitantur, spes desideriumque accenditur.

Plena fames cibum gratiorem facit, & vacuus eum stomacus facilius concoquit. Edacibus pueris malè quouis tempore quæuis etiam edulia concedentur. Optimus ille, & Pater, & medicus opportunè largitur; ne donando nihil prosit, sæpè etiam noceat. Didicit expertus denique Tobias, cum & Gabeli opibus, & nouo filij connubio augeretur. cum homines deessent, Angelus de cælo benefactor adfuit. Deus nunquam fallit. Quocirca si sapis, & tam sancto seni credis; hanc & tu accipe, quam filio moriturus præceptionem tantopere inculcauit. *Ex substantia tua fac*

a) Tob. 2. 16.

eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Domini. En quam indubitata promissio de responsura liberalitate Dei. Pergit, &, ne forte tenuitatem suam, rebus domi angustis, prætenderet. *Quomodo poteris, ita esto misericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* a Huicne credis? Depone in pauperum sinu, non in arca opes, in die necessitatis recipies cum præmio. Disertissima senis oratio est, nihil quod adijciam reperio, neque exemplis stabilio, quæ sunt adeo quotidiana, ut nemo vnquam compertus liberalis in egenos, qui egere denique cœperit. Habes igitur rationem, qua & certò, & securè, & sine scelere; etiam cum virtute, merito, gaudioque tuo possis in hac vita ditescere. Præterij bona illa, quæ æterna diuinaque sunt, nec dubia Christi fide eleemosynam sequentur, quæ idem Tobias agnita filio proposuit, *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras:* His ego te excitare præsenti institutione nolui, cum hoc solum age-

a) *Tob. 4. 7. & seq.*

agerem, ut securam minimeque dubiam ad temporales opes viam aperirem. Excors prorsus atque in extremo iudicij die inexcusabilis futurus es, si tam manifesta S. litterarum testimonia, Deique tot pollicitationibus obligatam, stipulationem, neque quenquam hactenus fallentem, despexeris. Augustinus pro me hortator sit. *Si vis esse fenerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non potes amittere; prabe tecum, ut recipias paradisum; da modicum, ut accipias centuplum* a

Locuples eius rei testis nobis esse potest B. Ioannes Eleemosynarius, b qui cum Deo largiendo certare visus est. Ita ille profusus in pauperes, Deus in Ioannem fuit. Memoria in primis dignum est, quod cum Ioannes viro nobili à latronibus spoliato, quindecim auri libras in subsidium dari imperasset, & œconomus parcior tantùm quinque numerasset: diues eodem tempore mulier, quæ Præsuli quindecim destinarat aureorum millia, mutato repentè consilio & syngrapha quinque substituit, domumque hoc Antistiti è Templo domum repetenti obtulit. Ille mulieris voluntate cognitâ, Oe-

 cono-

a) *August. in Psal. 36.* b) *Leontius in vita apud Surium.*

conomum accersit, & quantum nobili largitus fuerit, sciscitantur. Qui dum rem, ut erat, aperit. Nimirum, ait Præsul, dum viginti nobis libras servas, viginti millia aureorum perdidisti. Divinam nondum liberalitatem æstimare didicisti. dando hæc provocatur, neque unquam se patitur superari.

Recentius ea de re nobis proximi sæculi exemplum, ex B. Thoma de Villanova Episcopo Valentiniano suppetit. a Is à puero tantæ in pauperes liberalitatis fuit, ut cum alia deessent omnia, subtractos sibi è mensâ cibos, atque ex corpore vestes largiretur egenis, integros ipse quandoque dies ieiunus transigens. Qui ex S Augustini disciplinâ ad Episcopalem mitram Caroli V. Imper. postulatione traductus, ampliorem largitionum sortitus campum, vnus penè totius ciuitatis paupertatem levare visus est Captivis inter Mauros plurimos suffecit lytrum, pauperculis Virginibus dotem, expositítijs pueris alimentum, nihil cuiquam hominum, dum quicquam suppeteret, denegabat: præterquam sibimetipsi. Mensam ad illam tenuitatem redegerat, ut

a) Ex actis Canoniz. an. 1658.

ut nefas duceret, vel dimidiatam in epulum gallinam admittere, sed quartam sibi partem satis esse dictitaret, cætera rectius in egentes conferri, quos à se dimitti vacuos nunquam patiebatur, nūquam sua ipse liberalitate exhaustus, ut si ærariū granariumque ipsi sine fundo esset, evenitque illud admiratione plenum. cùm afflicta egensque mulier pro frumento instaret acrius, quod defecisse Bonilla granarii custos memorabat. Nam D. Thomas Garziam Oeconomum advocat; hic etiam Hernandez subœconomum, accersitur & Bonilla, omnes expurgato recens horreo nec granum superesse memorant. Age, inquit Thomas ad Bonillam, duc egenam, & largire siquid fuerit. Ergo imperio parituri abeunt, & ad mulierem versi, ad vacuum, aiunt, granarium venies, indè licebit haurire, quantum voles. Vbi peruentum, iam frumenti grana sese per rimas ianuæ visa effundere; mirantur, ostium conantur pandere, vixque illud præ frugum incumbētium copia diducunt. Igitur rei nouitate attoniti, validis omnes vocibus miraculum inclamant, Episcopumque accersunt. Ille imperato omnibus silentio, mulieri, inquit, sume quantum lubet, Deoque refer gratias, qui tibi hoc largitus

gitus est. Vos verò familiares mei, nolite diuinæ bonitati vestra parcitate modum ponere: *Benefactorum*, ait D. Basilius, *gratia in dantes reuertuntur. Dedisti esurienti, tibi consuluisti. Quod dedisti ad te cum auctario reuertetur.* a

Potuitne disertè magis? Discant hanc lectionem Adolescentes; Magistri ac Parentes doceant. In tenera iam ætate opum rectè tractandarum discenda est ratio. Facilius in primo semine cupiditas eliditur. Incipiant, iam tum sola necessitatis lege metiri opes, non ad luxum superbiamque impendere norint, à virtute ac DEO omnem vitæ fortunarumque felicitatem deduci. Sciant quod in vestibus cultuque corporis abundat (quæ adolescentium multorum est vanitas) pauperibus nudisque ex Dei præscripto impendendum esse. Væ parentibus qui ornatos, cultisque magis vestibus, quam moribus, filios amplectuntur! Tobiæ non sunt, verum Heli qui fractis ceruicibus hanc luit incuriam. Væ adolescentibus qui has Dei leges surdis in viridi æuo prætereunt auribus, concessisque opibus ad vanitatem & leuitatem abutuntur, qui ocreatis latè tibijs, fluentibus otiosè lemniscis, cete-

a) Basil. hom. 6. in ditescentes.

ceterisq; superbiæ alimentis, debitam pauperum nuditati impendunt pecuniã! Angusta tantum ambitum cæli via non capit, latam ad præcipitium ambulant. Nec facilè à cœpto itinere auertentur. nisi enim sapientissimus mortalium fallitur. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* a Rarissima auis in terra est, ex adolescente perdito probus senex. Unum Prodigum ad frugem redijsse, parabolæ magis, quàm historiæ fidem meretur: tam suo exemplo est insolens. Hæc igitur opum benè impendendarũ præcepta iuuenes hauriant, ut teneant senes. Tobiæ esse, quàm Absalones malint. Abeli sint, qui & Deo rectè norint suo ex peculio largiri. Iosephi qui in opum quoque affluentia, inter parentis blanditias corrumpi nequeant. Ita promitto fore, ut in vita honesta nunquam egeant.

a] *Prov.22. 6.*

QUÆSTIO XI

Quam certas nobis opes liberalitas erga pauperes à Deo obtineat.

NOn perfunctoriè hæc nobis quæstio, quàm supra cœpimus, expedienda videtur; cùm paradoxon inter politicos sit homines, dando aliquem beneficium accipere, largiendo profusè opes, ditari posse. Quare diuina humanaque authoritate, ratione, experientiâ argumentisque omnibus hoc loco pugnandum est: ne humanarum studiosi opum, adeo exploratam munitamque ad diuitias viam negligant, & suæ cupiditatis mancipia, dum præpostere auareque opes quærunt, nequicquam inquisitas amittant. D. Chrysostomus aureâ suâ eloquentiâ nullibi penè, quàm de auro in pauperes, cum quæstu, erogando disertior, non raro ingemuit, tantam esse mortalium cæcitatem, qui tam peruersâ ad opes viâ contenderent, atque illam quam Christus docuisset certissimam præterirent. *Crucior*, inquit, & *doleo, quod neque rerum experientia, neque tot ac tales Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidiana admonitiones*

a) *Tom.* 1, *hom.* 4 *in Gen.*

ones nostra apud tales proficiant. Non tamen cessabo etiam sic ab hoc consilio, donec continuitate importuna tandem victos resipiscere ipsos fecero, & à pecuniarum auiditate, quæ mentem eorum obtenebrat, eruere valuero. Et sanè ad hanc cæcam auiditatem expugnandam, quæ fœlicitatem omnem diuitum euertit, & ad liberalitatem in egenos suadendam omnes eloquentiæ vires adhibuit, ut si hic quisquam, Chrysostomus certè persuasisse existimandus sit. Ita ad populum Antiochenum disserit. a *Ars*, inquit, *est eleemosyna, & omnium artium quæstuosissima. Si enim proprium est artis ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemosyna verò nihil est vtilius, clarum est profectò, quod & ars, & omnium artium sit optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, neque has luteas domos ædificat; verùm æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita* (hac videlicet & futura) *claros exhibet, & mansiones ædificat in cælis, & æterna parat tabernacula. Atque si des panem, eum habens solum, ad perfectionem artis venisti. Melius est hanc scire, quàm esse Regem, & diademate coronari*, Notus ille Poëtæ versus.

Regia

a) *Tom.5.hom.33.*

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.

Dignum sese facit opibus, qui his opem præstat miseris, & Regia magnitudine animi Deo fit proximus, *cui proprium est misereri semper ac parcere.* In hoc nos Deus opere, sibi maximè propinquos similesque esse desiderat, qui est *Pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis.* Vnde hæc suadentis miserationem oratio est: *estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* a Reliquæ virtutes iacent, neque ad Dei similitudinem extollunt hominem, sine misericordia. *Non,* inquit Chrysostomus, b *dixit, si ieiunetis, neque dixit, si suppliciter oraveritis, si virginitatem vestram servaveritis, similes eritis Patri vestro. Sed quid? estote misericordes. Hoc Dei est opus, hoc si non habeas, quod habes? misericordiam volo, & non sacrificium. Frigidum est ieiunium, sterilis oratio absque eleemosyna. Nihil ita Deum attrahit, sicut misericordia.* Quocirca alibi c nos extimulat, ut, *hæc ante omnia solvamus tributa, omnibus ex causis. Multa namque facilitas est, & maior merces, & quæstus amplior.*

Quid?

a] *Luc. 6. v. 36.* b) *Tom. 5. hom. 36. ad pop.* c) *Hom. 35. ad pop.*

Quid? quod iure existimet longè nos avidius ad præstandas, quàm pauperes ad eleemosynas accipiēdas debere accedere; quòd longè maius excellentiusq; nostrum, quàm illorum lucrum sit. *Non*, inquit, a) *est æquale lucrum vobis & pauperibus. Nam vos quidem: si dederitis ea: debitis, quæ & breui tandem volentes nolentes, resignabitis, alijsque cedetis: quæ verò recipitis admodum magna, imò multò maiora sunt. An non hic vobis est animus, ut existimetis vos dando accipere? Nemo contribuat, nisi qui seipsum ita disposuerit, tanquam magis accipiat, quàm det, tanquam innumera lucretur, tanquam beneficium magis capiat, quàm largiatur. Neque enim simpliciter dare, eleemosynam est facere; sed prompto alacrique animo dare; ut eum decet, qui gratiam accipit.*

O quanta multorum in donando esset promptitudo, si hæc ut æquum est perpenderent! Credibile est Abrahamum hanc olim gratiam artemque stabiliendi fœlicitatem suam non ignorasse, quando Angelo in schemate peregrini occurrentis omne loboralis munificique hominis officium promptissimè exhibuit. *Domine*, inquit, a) *Si*

a) *Tom. 4. hom. 1. in Epist. ad Philip.*

a *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Gratiam accipere magis se, quàm deferre existimavit. Et quàm hæc ipsi liberalitas vtilis ac quæstuosa fuit! *Num celare*, inquit Dominus, b *potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terræ.* Sara erat eidem vxor in domo sterilis, iamque uterque in senio prolem fœlicitatemque in hærede desperatam exspectare non poterant. Vna ad hanc gratuita in hospites liberalitas suffecit, filium, opulentam hæreditatem, multiplicatam posteritatem, benedictionem omnium terræ nationum, per nasciturum ex semine redemptorem impetrauit. Iam enimvero magis adducor, ut Ambrosio, eleganter non minus, quàm verè differenti assentiar, *Beneficium*, inquit, c *largienti prabenti magis permanet, quàm suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit gratia autem multiplicata mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est & refectus, sed ad*

a) *Gen.* 18 v 3 b) *Ib. v.* 17. c) *Tom.* 5. *ser.* 81.

ad te redit quod dedisti cum fructibus & usuris. Quod si difficilè putas, considera frumentum quod seminatur in terra. si non ad seminantis potius, quàm ad suscipientis lucra cedit. Ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo fœnore divina gratia restituitur in posterum.

Et licet præsentis vitæ nullam ab hac liberalitate lucrum esset, tamen futuræ nos opes meritò ad hoc nos consilium impellere debeant, quas tanta aviditate Laurentius prensabat, quando Ecclesiæ opibus importunè rapaciterque Valerianus tyrannus inhiabat: cui ille nihil ignes & tormenta veritus, ingeniosâ liberalitate prævertit, quando in pauperes quidquid erat elargitus, Cæsari respondit: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, iam manus pauperum in cælestes thesauros deportarunt. Manus pauperis*, subiicit orator aureus, a) *sinus Abrahæ, gazophylacium Christi, thesaurus cæli.* Quis enim neget, his nos opibus, quas in cœlo reposuimus, verè etiam in hac vita divites felicesque censendos esse? Nam si illis hic opulenti censendi sumus, quæ in arca, aut sub terra etiam in secuturæ ætatis usum reconduntur, quid ni inter nostra habeantur, quæ in cælis ad æter-

a) *Homil* 8.

æternæ vitæ fœlicitatem deponimus? Illæ mille periculis obiectæ; hæ securæ: illæ per usum consumuntur: hæ nunquam deficiunt: illæ instabiles sunt, hæ nunquam fallunt. Vbi cætera te deserent universa, hæ nunquam destituent. Neque minus his modo locuples habendus es, quàm quæ ab alijs in ærario possidentur; cùm præter spem fruendi, quâ vtrique solum in præsentia gaudent, longè certissima exspectatio in repositis cælo opibus collocetur. Vnde Chrysostomus a (quem præ cæteris de auro loquentem audire iuvat) meritò sciscitatur: *Quare colis divitias, quæ nunquam contineri possunt. Vis eas continere? ne defodias, sed da in manus pauperum. Feræ sunt divitiæ: si contineantur, fugiunt: si spargantur, manent. Sparge, ut maneant: ne diffodias, ut ne fugiant.*

Multi per collybum, aut classem eo transmittunt opes, quo se, aut familiam aliquando transituros esse norunt, idque quàm minimo cupiunt discrimine fieri, & tu de cælo non sis sollicitus, ut locum iam ante paratum, opes promptas, præsensque subsidium reperias? nullum collybo huc certius, quàm manu pauperum opes tuas transportabis; nul-

a] *Tom. 5. de divitiis & Paup.*

nulla navis securior est sinu indigentium: hæc est *navis institoris de longè portans panem suum* a quam nulli fluctus quatiunt, nulla tempestas evertit, nulla charybdis absorbet. Malè sibi consulit, quisquis huic inferendum æternitati thesaurum non credit. Hipponensis Præsulis cautio est, quâ Christianis providet. *Esto* inquit, b *prudens & prospice tibi imposterum in cœlo. Nunc Christiani est præparare sibi domum æternam in bonis operibus, mittere ante se sumptus, sequi opera sua.* Profectò si quis alicubi hac in vita principatum sibi, legatione aliquâ, sciret obventurum, modò præsentes quasdam in Principis amicos impensas non formidaret, centuplicato illic fœnore refundendas: ille liberali hic prorsus manu erogaret, tantoque id ageret profusius, quantò principatus nobilior ac locupletior, possessio illius certior diuturniorque, ipse quoque, qui aditurus hunc esset ignobilior tenuiorque haberetur. Expende singula, & principatum invenies omni regno imperioque illustriorem; certitudinem possessionis tantam, quantam ipse tuis facere largitionibus volueris: neque enim fallere Christus potest, dum

a) *Prov.* 31. *v.* 14. b) *Tom*, 8, *in Psal.* 48.

dum asserit, *facite vobis amicos de mammona in quitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* a De illius verò diuturnitate non licet dubitare, cùm æternum futurum sit. De tua tenuitate non disputo, cuius ipse tibi testis esse optimus poteris. Neque remotior ab illius nunc principatus fruitione videris esse, quàm à defossis sub terra thesauris. aut opulenti prædij fructibus, siquid talium possideas: cùm quavis hora, ad illius regni possessionem queas avocari: non minùs quàm qui prædivitem à senescente consangvineo hæreditatem exspectat. Unum vitæ mortisque, momentaneum plerumque, intervallum ab hoc regno te separat. neque insolens hæc sors est, quando indies hæc transmigrantium exempla intuemur. Mira tantum res est, tam ad quævis lucra exporrectos mortalium animos, ad hæc adeò certa ac copiosa obtorpescere. Præpostera hominum avaritia est, dum illas sectatur opes, quæ & incertissimæ, & tenuissimæ sunt, certissimas locupletissimasque negligit! *Domine*, inquit Petrus Chrysologus, b *tu vidisti, quia in thesauru tota fides, tota spes in sacculus sit avaro. & ideo imputribiles in cælo*

a) *Luc.* 16, *v.* 9. b) *Serm.* 23.

cælo sacculos vis parari; ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos tuos. Avare; fac tibi sacculos, & fac iubente Deo: quia votis tuis annuit divina maiestas. Sed fac tibi sacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit. Et ubi reconditur? in cælo. At ne fortè perdidisse te doleas usuram; centuplum in cælesti fœnore recipies, quidquid in cælum, paupere transmittente, eris perferente. Quàm prompti sumus ad expendendas pecunias, cum locuples ex usura lucrum sese ostentat: & hic, (quæ insania mortalium est) torpemus, vbi & usura sine scelere est, & pecunia sine periculo, & lucrum omnino quæstuosissimum. An possumus Christi promissionibus fidem derogare. *Vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* a *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Credidit sanè Evagrius Phisophus Synesio Episcopo, b postquam ad Christi disciplinam instructus esset. Cumque hic Christianam erga pauperes charitatem suasisset, liberalissimo retribuentis Dei fœnore post hanc vitam proposito, *Da,* inquit, *Synesi cautionem, quod Christus*

a) *Matt.*19.*v.*21 b) *Sophron. Prati Spir. cap.*195.

gitus est. Vos verò familiares mei, nolite diuinæ bonitati vestra parcitate modum ponere: *Benefactorum*, ait D. Basilius, *gratia in dantes reuertuntur. Dedisti esurienti, tibi consuluisti. Quod dedisti ad te cum auctariis reuertetur.* a

Potuitne disertè magis? Discant hanc lectionem Adolescentes; Magistri ac Parentes doceant. In tenera iam ætate opum rectè tractandarum discenda est ratio. Facilius in primo semine cupiditas eliditur. Incipiant, iam tum sola necessitatis lege metiri opes, non ad luxum superbiamque impendere norint, à virtute ac DEO omnem vitæ fortunarumque felicitatem deduci. Sciant quod in vestibus cultuque corporis abundat (quæ adolescentium multorum est vanitas) pauperibus nudisque ex Dei præscripto impendendum esse. Væ parentibus qui ornatos, cultisque magis vestibus, quàm moribus, filios amplectuntur! Tobiæ non sunt, verum Heli qui fractis ceruicibus hanc luit incuriam. Væ adolescentibus qui has Dei leges surdis in viridi æuo prætereunt auribus, concessisque opibus ad vanitatem & leuitatem abutuntur, qui ocreatis latè tibijs, fluentibus otiosè lemniscis, cete-

a) *Basil. hom. 6. in ditescentes.*

ceterisq; superbiæ alimentis, debitam pauperum nuditati impendunt pecuniã! Angusta tantum ambitum cæli via non capit, latam ad præcipitium ambulant. Nec facilè à cœpto itinere auertentur. nisi enim sapientissimus mortalium fallitur. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* a Rarissima auis in terra est, ex adolescente perdito probus senex. Unum Prodigum ad frugem redijsse, parabolæ magis, quàm historiæ fidem meretur: tam suo exemplo est insolens. Hæc igitur opum benè impendendarũ præcepta iuuenes hauriant, ut teneant senes. Tobiæ esse, quàm Absalones malint. Abeli sint, qui & Deo rectè norint suo ex peculio largiri. Iosephi qui in opum quoque affluentia, inter parentis blanditias corrumpi nequeant. Ita promitto fore, ut in vita honesta nunquam egeant.

a] *Prov. 22. 6.*

QUÆSTIO XI

Quam certas nobis opes liberalitas erga pauperes à Deo obtineat.

NOn perfunctoriè hæc nobis quæstio, quàm supra cœpimus, expedienda videtur; cùm paradoxon inter politicos sit homines, dando aliquem beneficium accipere, largiendo profusè opes, ditari posse. Quare diuina humanaque authoritate, ratione, experientiâ argumentisque omnibus hoc loco pugnandum est: ne humanarum studiosi opum, adeo exploratam munitamque ad diuitias viam negligant, & suæ cupiditatis mancipia, dum præpostere auareque opes quærunt, nequicquam inquisitas amittant. D. Chrysostomus aureâ suâ eloquentiâ nullibi penè, quàm de auro in pauperes, cum quæstu, erogando disertior, non raro ingemuit, tantam esse mortalium cæcitatem, qui tam peruersâ ad opes viâ contenderent, atque illam quam Christus docuisset certissimam præterirent. *Crucior*, inquit, & *doleo, quod neque rerum experientia, neque tot ac tales Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidiana admonitiones*

a) *Tom.1, hom.4 in Gen.*

ones nostra apud tales proficiant. Non tamen cessabo etiam sic ab hoc consilio, donec continuitate importuna tandem victor resipiscere ipsos fecero, & à pecuniarum auiditate, quæ mentem eorum obtenebrat, eruere valuero. Et sanè ad hanc cæcam auiditatem expugnandam, quæ fœlicitatem omnem diuitum euertit, & ad liberalitatem in egenos suadendam omnes eloquentiæ vires adhibuit, ut si hic quisquam, Chrysostomus certè persuasisse existimandus sit. Ita ad populum Antiochenum disserit. a *Ars*, inquit, *est eleemosyna, & omnium artium quæstuosissima. Si enim proprium est artis ad aliquam utilitatem peruenire, eleemosyna verò nihil est utilius, clarum est profectò, quod & ars, & omnium artium sit optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, neque has luteas domos ædificat; verùm æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in utraque vita* [hac videlicet & futura) *claros exhibet, & mansiones ædificat in cælis, & æterna parat tabernacula. Atque si des panem, eum habens solum, ad perfectionem artis venisti. Melius est hanc scire, quàm esse Regem, & diademate coronari.* Notus ille Poëtæ versus.

Regia

a) *Tom.5.hom.33.*

Regia crede mihi res est succurrere lapsis.

Dignum sese facit opibus, qui his opem præstat miseris, & Regia magnitudine animi Deo fit proximus, *cui proprium est miserere semper ac parcere.* In hoc nos Deus opere, sibi maximè propinquos similesque esse desiderat, qui est *Pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis.* Vnde hæc suadentis miserationem oratio est: *estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* a Reliquæ virtutes iacent, neque ad Dei similitudinem extollunt hominem, sine misericordia. *Non,* inquit Chrysostomus, b *dixit, si ieiunetis, neque dixit, si suppliciter oraveritis, si virginitatem vestram servaveritis, similes eritis Patri vestro. Sed quid? estote misericordes. Hoc Dei est opus, hoc si non habeas, quod habes? misericordiam volo, & non sacrificium. Frigidum est ieiunium, sterilis oratio absque eleemosyna. Nihil ita Deum attrahit, sicut misericordia.* Quocircà alibi c nos extimulat, ut, *hæc ante omnia solvamus tributa, omnibus ex caussis. Multa namque facilitas est, & maior merces, & quæstus amplior.*

Quid?

a] *Luc. 6. v. 36.* b) *Tom. 5. hom. 36. ad pop.*
c) *Hom. 35. ad pop.*

Quid? quod iure existimet longè nos avidius ad præstandas, quàm pauperes ad eleemosynas accipiēdas debere accedere; quòd longè maius, excellentiusq; nostrum, quàm illorum lucrum sit. *Non,* inquit, a) *est æquale lucrum vobis & pauperibus. Nam vos quidem: si dederitis ea: dabitis, quæ & breui tandem volentes nolentes, resignabitis, alijsque cedetis: quæ verò recipitis admodum magna, imò multò maiora sunt. An non hic vobis est animus, ut existimetis vos dando accipere? Nemo contribuat, nisi qui seipsum ita dispo-suerit, tanquam magis accipiat, quàm det, tanquam innumera lucretur, tanquam beneficium magis capiat, quàm largiatur. Neque enim simpliciter dare, eleemosynam est facere; sed prompto alacrique animo dare, ut eum decet, qui gratiam accipit.*

O quanta multorum in donando esset promptitudo, si hæc ut æquum est perpenderent! Credibile est Abrahamum hanc olim gratiam artemque stabiliendi fœlicitatem suam non ignorasse, quando Angelo in schemate peregrini occurrentis omne loboralis munificique hominis officium promptissimè exhibuit. *Domine,* inquit, a) *Si*

a) *Tom. 4. hom. 1. in Epist. ad Philip.*

a *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Gratiam accipere magis se, quàm deferre existimavit. Et quàm hæc ipsi liberalitas vtilis ac quæstuosa fuit! *Num celare*, inquit Dominus, b *potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terræ.* Sara erat eidem vxor in domo sterilis, iamque uterque in senio prolem fœlicitatemque in hærede desperatam exspectare non poterant. Vna ad hanc gratuita in hospites liberalitas suffecit; filium, opulentam hæreditatem, multiplicatam posteritatem, benedictionem omnium terræ nationum, per nasciturum ex semine redemptorem impetrauit. Iam enimvero magis adducor, ut Ambrosio, eleganter non minus, quàm verè differenti assentiar, *Beneficium*, inquit, c *largientis præbenti magis permanet, quàm suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit gratia autem multiplicata mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est & refectus, sed* ad

a) *Gen.* 18 *v* 3 b) *Ib. v.* 17. c) *Tom.* 5. *ser.* 81.

ad te redit quod dedisti cum fructibus & usuris. Quod si difficile putas, considera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius, quàm ad suscipientis lucra cedit. Ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo fœnore divina gratia restituitur in posterum.

Et licet præsentis vitæ nullam ab hac liberalitate lucrum esset, tamen futuræ nos opes meritò ad hoc nos consilium impellere debeant, quas tanta aviditate Laurenti is prensabat, quando Ecclesiæ opibus importunè rapaciterque Valerianus tyrannus inhiebat: cui ille nihil ignes & tormenta veritus, ingeniosâ liberalitate prevertit, quando in pauperes quidquid erat elargitus, Cæsari respondit: *Facultates Ecclesia, quas requiris, iam manus pauperum in cælestes thesauros deportarunt. Manus pauperis*, subijcit orator aureus, a) *sinus Abraha, gazophylacium Christi, thesaurus cæli.* Quis enim neget, his nos opibus, quas in cœlo reposuimus, verè etiam in hac vita divites felicesque censendos esse? Nam si illis hic opulenti censendi sumus, quæ in arca, aut sub terra etiam in secuturæ ætatis usum reconduntur, quid ni inter nostra habeantur, quæ in cælis ad æter-

a) *Homil* 8.

æternæ vitæ fœlicitatem deponimus? Illæ mille periculis obiectæ; hæ securæ: illæ per usum consumuntur: hæ nunquam deficiunt: illæ instabiles sunt, hæ nunquam fallunt. Vbi cætera te deserent universa, hæ nunquam destituent. Neque minus his modò locuples habendus es, quàm quæ ab alijs in ærario possidentur; cùm præter spem fruendi, quâ vtrique solum in præsentia gaudent, longè certissima exspectatio in repositis cælo opibus collocetur. Vnde Chrysostomus a (quem præ cæteris de auro loquentem audire iuvat) meritò sciscitatur: *Quare colis divitias, quæ nunquam contineri possunt. Vis eas continere? ne defodias, sed da in manus pauperum. Feræ sunt divitiæ: si contineantur, fugiunt: si spargantur, manent. Sparge, ut maneant: ne diffodias, ut ne fugiant.*

Multi per collybum, aut classem eò transmittunt opes, quo se, aut familiam aliquando transituros esse norunt, idque quàm minimo cupiunt discrimine fieri, & tu de cælo non sis sollicitus, ut locum iam ante paratum, opes promptas, præsensque subsidium reperias? nullum collybo huc certius, quàm manu pauperum opes tuas transportabis; nul-

a] *Tom. 5. de divitiis & Paup.*

nulla navis securior est sinu indigentium: hæc est *navis institoris de longè portans panem suum* a quam nulli fluctus quatiunt, nulla tempestas evertit, nulla charybdis absorbet. Malè sibi consulit, quisquis huic inferendum æternitati thesaurum non credit. Hipponensis Præsulis cautio est, quâ Christianis providet. *Esto* inquit, b *prudens & prospice tibi imposterum in cœlo. Nunc Christiani est præparare sibi domum æternam in bonis operibus, mittere ante se sumptus, sequi opera sua.* Profectò si quis alicubi hac in vita principatum sibi, legatione aliquâ, sciret obventurum, modò præsentes quasdam in Principis amicos impensas non formidaret, centuplicato illic fœnore refundendas: ille liberali hic prorsus manu erogaret, tantoque id ageret profusius, quantò principatus nobilior ac locupletior, possessio illius certior diuturniorque, ipse quoque, qui aditurus hunc esset ignobilior tenuiorque haberetur. Expende singula, & principatum invenies omni regno imperioque illustriorem; certitudinem possessionis tantam, quantam ipse tuis facere largitionibus volueris: neque enim fallere Christus potest, dum

a) *Prov.* 31. *v.* 14. b) *Tom*, 8, *in Psal.* 48.

dum asserit, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* a De illius verò diuturnitate non licet dubitare, cùm æternum futurum sit. De tua tenuitate non disputo, cuius ipse tibi testis esse optimus poteris. Neque remotior ab illius nunc principatus fruitione videris esse, quàm à defossis sub terra thesauris, aut opulenti prædij fructibus, siquid talium possideas: cùm quavis hora, ad illius regni possessionem queas avocari: non minùs quàm qui prædivitem à senescente consangvineo hæreditatem exspectat. Unum vitæ mortisque, momentaneum plerumque, intervallum ab hoc regno te separat. neque insolens hæc sors est, quando indies hæc transmigrantium exempla intuemur. Mira tantum res est, tam ad quævis lucra exporrectos mortalium animos, ad hæc adeò certa ac copiosa obtorpescere. Præpostera hominum avaritia est, dum illas sectatur opes, quæ & incertissimæ, & tenuissimæ sunt, certissimas locupletissimasque negligit! *Domine*, inquit Petrus Chrysologus, b *tu vidisti, quia in thesauru tota fides, tota spes in sacculus fit avaro. & ideo imputribiles in cælo*

a) *Luc.* 16, v. 9. b) *Serm.* 23.

cælo sacculos vu parari; ut qui te non sequitur ad cælum, sequatur saltem sacculos tuos. Avare; fac tibi sacculos, & fac iubente Deo: quia votis tuis annuit divina maiestas. Sed fac tibi sacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit. Et vbi reconditi in cælo. At ne fortè perdidisse te doleas usuram; centuplum in cælesti fœnore recipies, quidquid in cælum, paupere transmiseris perferente. Quàm prompti sumus ad expendendas pecunias, cum locuples ex usura lucrum sese ostentat: & hic, (quæ insania mortalium est) torpemus, vbi & usura sine scelere est, & pecunia sine periculo, & lucrum omnino quæstuosissimum. An possumus Christi promissionibus fidem derogare. *Vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* a *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis* Credidit sanè Evagrius Phisophus Synesio Episcopo, b postquam ad Christi disciplinam instructus esset. Cumque hic Christianam erga pauperes charitatem suasisset, liberalissimo retribuentis Dei fœnore post hanc vitam proposito, *Da, inquit, Synesi cautionem, quod Christus*

a) *Matt.19.v.21* b) *Sophron. Prati Spir. cap.195.*

ſtus cum fœnore in cælo redditurus ſit, tibique trecentas auri libras, haud invitus, eius nomine in pauperes erogandas, credam. Neque cunctatus Epiſcopus, ſcriptam manu ſua ſignatamque cautionem exhibet, aurumque diſtribuendum ſumpſit. Pauci labuntur anni, & Evagrius ad extrema vivendi ſpatia ductus, chirographum poſcit, iubetque hoc ſuis incluſum manibus unà ſecum defodi. Neque factum aliter. Verùm tertia poſt ſepulturam die Syneſio Epiſcopo ſe ſtitit Evagrius, monuitque, ad ſepulchrum adeſſet, ſuumq; reciperet chirographum, abundè iam ſibi fuiſſe ſatisfactum, eiuſque rei fidem manu facturum propria. Ergo Epiſcopus ſolemni cum Clero proceſſione ad ſepulchrum progreſſus, hoc aperto chirographum è manibus Evagrij ſuſtulit, reperitque his verbis ſubſcriptum: *Ego Evagrius Philoſophus accepi debitum in his literis, tua manu conſcriptum, ſatiſfactumque mihi eſt, neque ullum adverſus te ius mihi competit, propter aurum, quod tibi, & per te Chriſto Deo & Salvatori noſtro obtuli.* Si qua creditoris in hac vita fides certa eſt, Chriſti eſt planè certiſſima. Aut totam religionis noſtræ molem collabi neceſſe eſt: aut ſubſiſtere tam luculentæ promiſsionis fundamenta. Habi-

ra. habituri omnes ſunt *theſaurum non deficientem in cœlis.*

Fallit nonnunquam illa quoſdam retributionis exſpectatio, quæ in terris à Deo liberali pauperum opitulatori promiſſa eſt, ſed quæ in alteram differtur vitam nunquam fallit. Illa enim non alia lege, aut ab homine exſpectatur, aut à Deo conceditur, quàm ut ſaluti noſtræ conveniat. Quæ ſi ex paupertate certius præſidium habeat, ex opulentiâ diſcrimen præſentius, divinæ erga nos providentiæ ſingulare beneficium eſt, negare præſens bonum, ut æternum cumuletur. Et hoc ingens mortalium lucrum eſt, hac in vita, propter impenſas Deo opes, nullam ferre retributionem; quòd æterna tantò locupletior futura ſit, quanto hic parcius à Deo fuerit liberalitati noſtræ refuſum. Quæ cauſa eſt, cur non tantùm hæc dejicere animos noſtros divinæ in hac vita largitatis parſimonia non debeat, verum etiam magnopere inflammare: cùm illic cumulare Deum opes noſtras velle intelligamus, ubi & immenſo intervallo pretium dignitatemque mortalium bonorum ſuperant, & extra omnem fortunæ mutationiſque aleam poſitæ; æternæ durationis felicitatiſque menſuram exæquabunt.

QUÆSTIO XII.

An ad humanas opes stabiliendas augendasq; magnoperè prosit erga Deum in rebus sacris esse liberalem?

Liberalis erga Deum sit, qui Deum erga se voluerit esse liberalem. Nostrorum ille bonorum minimè indigens, gaudet tamen, si ex illis, quæ nobis elargitus est, aliquid rependamus: non secus ac parens liberorum suorum donis lætatur, quamvis propria, & jam antè gratuitò collata largiantur. Non ignorabat hæc Sapiens, qui hoc nobis consilium provocandæ divinæ liberalitatis reliquit. *Honora*, ait, *Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt* a En compendiosam ad divitias viam, eamque, quod in usura rarum est, & sibi, & Deo perquam honorificam. Da Deo & dabitur tibi. Si inter homines illa lex obtinet *date & dabitur vobis*, b quantò magis hæc Deum obligabit, qui se vinci humana liberalitate nunquam patitur: cùm nec facultas illum deficiat, nec voluntas? Ab inexhausto depromit bonorum fonte, nec

a *Prov.* 3.9. b *Luc.* 6.38.

nec largiendo quicquam deperit. Magis verò illud admirandum est, quod cum nec accipiendo quicquam accedat, nostris tamen ille muneribus delectetur. Hoc solum mihi videtur agere, dum nos ad largiendum sibi provocat, ut reperiat titulum, quo nobis copiosius largiatur; ideóque sapiens addit, *ut impleantur horrea tua saturitate.* Quare hac in re maximè esse liberalem. & quandoque profusum convenit: Deus enim superari se liberalitate hominum nequaquam patietur, qui ab hominibus, quibus benefeceris, tibi pollicetur, *mensuram bonam. & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum* c cùm abs se sui nominis gratia quæcunque deserentibus promittat *centuplum, & vitam æternam* d Quæ igitur socordia nostra est, si in manifesto lucro ignavi torpemus? Hoc quidem, hac in arte ditescendi, quisque monendus est, ne hac sua erga Deum liberalitate, lucrum spectet, quod acquiretur. Gratuitum esse debet, quod Dei munificentiam provocet. imò ut debitum supremo rerum Domino persolvendum est, cui mille nominibus ad hoc præstandum es obligatus. Is certè gratiam refundet pro debito, & profusione te-

c *Ib.* d *Mat.* 19, 29.

tecum non ingrata decertabit. Unde Salvianus e ad hæc verba *Honora Dominum de tua substantia*: *Quam pius*, inquit, *& indulgens Dominus Deus noster! cum totum suum sit, quod ab eo accipimus, nostrum esse dicit, ut demus; ideo scilicet nostram appellans proprietatem possessionis, ut major sit merces operantis.* Sed postea subjicit, ex Ecclesiastico, f *& redde debitum tuum. Hoc est dicere*, inquit, *si devotus es, da quasi tuum; si indevotus, redde quasi non tuum. Ad opus sanctum, & hortatione invitaris, & exactione constringeris. Da, si vis: redde, si non vis.* Quidquid dederis multiplicato fenore refundetur.

Verùm, utcunque res cesserit: si nihil mercedis lucrique à Deo exspectandum esset: Deum ex tua quippiam manu dignari admittere atque inter illos censere amicos, quibuscum sibi aliquam donorum participationem esse velit, hoc profectò magnæ est benevolentiæ erga te, magnæque felicitatis, atque etiam honoris à Deo præstiti argumentum. *beatius, enim est dare, quàm accipere.* g Unde Deus quodammodo, hic sese tanquam minor, & indigus earum rerum

c *Massil. lib. 1. ad Ecclesiam.* f *Eccli.* 4. 8. g 20 35.

rum, quas accipit, submittit homini tanquam ditiori ac feliciori. cum divinitatis quoddam signum sit, abundare in omnibus ac nullius egere. ut David ex hoc argumento Dominum suum Deum esse profiteatur. *dixi*, inquit, *Domino meo, Deus es tu; quoniam bonorum meorum non eges* h Dare enim non est egentis, sed abundantis, & bona abs se possessa in alios effundentis. Quare & Nazianzenus de cura pauperum i *nihil*, ait, *adeò divinum habet homo, quam benefacere, esto calamitoso Deus.* Et Clemens Alex. k *Dei*, inquit, *imago est, homo benefaciens.* Vide quam gloriosum excelsumque in Deo donum imiteris. Nihil in sua ipse natura magis habet admirandum, quam liberalissimam communicationem sui. Deus Pater suam naturam largiendo filio tribuit, Pater filiusque pari liberalitate in Spiritum S. transfundunt, æterna Sapientia hominibus sese liberandis impendens in carne spectatur, in præsepio se nobis infantem, in cruce morientem, in Eucharistia totum nobis hominē Deumque largitur. An non in contemplatione, tam profusæ in nos divinitatis meritò obstupescas, anxiusque cum Da-

h *Psal.* 15. 2. i *Orat.* 16. k *l.* 2. *Strom. cap.* 9.

vid quæras: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* ? Ipsa vides elementa Dei nutu ad tuum obsequium inclinata terram animalia & fruges, aquam pisces, aerē volucres, cælum subministrare sidera: nihil esse, nec supremum quidem in cœlis Deum, quin se totum tibi impendere videatur, & dubitabis hunc *de tua*, quam tibi beneficè suppeditavit *honorare substantia*? quis potest, aut nobilior esse divitiarum usus, aut tibi gloriosior? Hic ipse opum tuarum fructus, siquidem exspectari alius non posset, talis tantusque est, quo te Deo largitorem constituis, ut major optabiliorque homini obvenire non possit. Immensæ cujusdam gloriæ præconium est: *Homo benefactor Dei*.

Deinde, cum hunc suum esse honorem interpretur Deus, ideóque sapiens moneat *honora Deum de tua substantia*: quomodo poteris in rem digniorem opes tuas impendere? magnificis alii has opes impendant epulis, amicos sibi concilient, se familiamque suam splendido apparatu luxuque extollant, duraturas ad multa secula aulas basilicasque moliantur, præsentis futurique ævi honorem comparent, posteros ac nepotes ditent. Levia, peritura, inania sunt uni-

universa; solum quidquid divini nominis gloriæ tribueris, stabit in æternum. Apicii mensæ, Heliogabali luxus, Neronis domus, Theatrum Pompei, Thermæ Diocletiani, mausolæa Regum ac Cæsarum, quid nisi vana sunt nomina, & posteritatis, ad hanc profusionis insaniam ridentis, ludibria. Jacet quoque Salomonis templum, jacet templi & sacrificiorum apparatus; at honor Deo præstitus, opes illis impensæ, nullius ævi memoria, aut ingrati animi detestatione sepelientur. Quo igitur potius opes à Deo acceptas convertas, quam ad obsequium illius, qui te condidit, qui te *gloria & honore coronavit*, & largitus universa, *constituit super omnia opera manuum suarum?* Non ignorabat hæc Rex David, ingentes pro templo opes Deo offerens, dum inquit, *quis ego, & quis populus meus*, l *ut possimus hac tibi universa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Si* enim, ut Salviani verbis utar, m *omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea, quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in ejus opere consumere, quæ de ejusdem sumpsimus largitate. Hoc enim est agnoscere munus Dei, & divinis bene-*

l *Paral* 29, 14. m *loc. supra cit.*

beneficiis bene uti, ut datis suis illum honores, à quo data ipsa acceperis. Nihil omnino est quod Deum ad largiendas tibi opes, aut induxit unquam, aut incitare magis possit, quam honor ipsius & gloria. Propter hanc cœlum terramque, propter hanc teipsum, propter hanc opes condidit universas. Omnia creata Deus bona, etiam seipsum largitur homini Deus, impenditque creaturæ bonum increatum: verum suam sibi hinc soli vendicat gloriam, quam nulli vult creaturæ communicatam. *gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo.* n Hæc messis omnium divinorum est operum, hunc solum ex omnibus fructum Deus colligit. O felicem illum igitur divitem, qui hanc suis voluerit opibus amplificatam; infelicem ac melius nunquam natum, qui illam neglexerit. *Honora Dominum de tua substantia.*

Denique cum cujusque opum possessoris sit, nisi agat improvidè, opes resque suas quam tutissimo collocare loco, ubi minime pereant, & in quavis illas necessitate repetere liceat: quis obsecro tutior, copiosiorque ad refundendum, etiam cum fenore, locus esse poterit, sinu Dei? Sunt qui existimant

n *Isa* 42. 8.

mant apud amicos tutissimè opes collocari, de quo argumento ita philosophatur Seneca, ut deficiente licet amicorum gratitudine, tamen in hos rectè conferri opes putet, quod beneficium nunquam pereat. *Beneficium*, ait, *eripi non potest, non enim res, sed actio est.* o Quam sententiam M. Antonius apud Rabirium Poetam secutus est, cum spoliatus jam dejectusque spe ac fortuna omni exclamaret: *Hoc habeo quodcunque dedi.* Cui Martialis suffragatur dum canit:

Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Quod si itaque bene custoditæ opes censeantur, quæ in sinu amicorum vel pauperum reconditæ sunt, & perire nequeant beneficio perennante, manifestum est, neque potiorem te habere Deo amicum, qui tam innumeris benevolentiæ signis complexus est hactenus; neque potentiorem, qui quod quantumque vult, potest reddere; neque liberaliorem, qui nullis se patitur donis superari: neque fideliorem, qui in necessitate nunquam compertus est amicis defuisse: neque magis memorem, qui beneficium in se collatum sua in mente vult esse sempiternum.

 Postremò

o *Lib, 1. benef.*

Postremò sola spes, quam in Deo, translatis ad illum opibus, collocas, longè certior illa est, quàm quæ in opibus apud te relictis collocatur; ut si Deus nihil bonorum in te refunderet: ditior tamen crederis Deo opibus, quàm tibi servatis futurus esses. Nullus enim omnino casus traditas Deo opes potest extorquere: quas tibi eripere possunt ex arca quam plurimi. quot bello, furtis, igne, casuve alio spoliantur bonis, momento ex divitibus pauperes, ex felicibus miseri ac desperati, qui collocatas apud Deum opes spe freti perpetua, obtinerent. Custos Deus certissimus est. Noverat hoc Apostolus gentium, ideóque Timotheum hortatus est. *Præcipe divitibus hujus seculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnibus abundè ad fruendum.* p Ad hoc Apostoli præceptum inclinavit aurem Lusitanus mercator Petrus Vellejus, ad quem Machai apud Sinas latrunculis, extra domum, ludentem S. FRANCISCUS XAVERIUS (ut in vita est q) accessit, & in piam caussam erogandam à se pecuniam orat. Vellejus, quanquam importuno sibi tempore loco-

p 1. *Timot.* 6.17. q *Tursel.* l.5.c.3. *& in Bull. canoniz.*

focoque instantem, Xaverium non repulit, sed porrecta ad arcam clave, jubet inde, quantum vellet, depromere. Xaverius trecentis hinc sumptis aureis, clavem refert, monetque quantum à se acceptum pecuniæ fuerit. Tum Velleius. Parcè nimium, mi Pater, sumpsisti. Erant in illis triginta aureorum millia: hæc inter nos summa dividenda erat, dimidiumque assumendum tibi. Ita enim clave oblatâ cupiebam. Sensit vir sanctus Velleium syncero hæc liberalique erga Deum animo prolocutum, ideóque divinæ retributionis, etiam hac in vitâ, certus: *audi*, ait, *mi Velleie, quandoquidem tâ profusione erga Deum uteris, certò tibi persuasum habe, nihil tibi in vita unquam, inter extrema quoque pericula defuturum: prætereaque, supremum vitæ diem tempori tibi prænuntiandum; ne imparatus hinc abeas.* In neutro hæc fefellit promissio Nam neque inter gravissimos deinde fortunæ casus quicquam unquam Velleio defuit, quamquam profusissimæ in pauperes & res divinas liberalitatis fuerit: neque mortis tempus, jam in senio, sed vigoris etiamnum pleno, cognitum fefellit. Etenim ille, cùm nulla morbi mortisque vestigia adessent, divinitùs tempus horamque sui abitus intelligens:

ligens: rem domi familiarem inter suos & pauperes partitus, funebria in templo jubet apparari, invitatisque ac salutatis ultimùm amicis, ipse sese in parato ad hoc feretro componit, adductoque velut ad somnum tapete, cum plerique bonum senem delirare crederent, sacrum Missæ officium peragitur; sub cujus finem dum, *requiescant in pace*, concinitur, accurrunt famuli, reducto tapete, velut scena jam peracta, erecturi dominum, & jam illum expirasse, atque ad depositos in cœlo thesauros abiisse deprehendunt. Tanto cum fœnore rependit Deus, sibi opportunè credita. Expertus eandem Dei etiam hac in vita munificentiam est Cosmus Medices magnus Hetruriæ Dux ut Mediceæ familiæ fert historia. Ille enim cum jam supra quinque auri milliones partim in egenos, partim in ædificia, eaque præcipuè sacra impendisset. denique excussis rationum fasciculis ærarioque inspecto hanc prænuntiavit sententiam: *se quantalibet nummorum suorum profusione, tam in egenos, quàm in loca sacra, id obtinere non potuisse, ut inter debitores suos Deum numeraret*. [1] Experientia vir tantus discebat, plura Deum in opibus refundere, quam ipse tanta libe-

[1] *Histor. illustr. Mediceor. vixit an.* 1440.

liberalitate in Deum profunderet. Non servari tantum, verum & cumulari certissimo fenore illas, quæ divinæ custodiæ traduntur divitiæ. Sed quod illustrius exemplum quam ex S. nobis literis de Salomone potest suppeditari, qui in regium Israelis solium post Davidem subrogatus, nihil antiquius habuit, quàm singulari liberalitate suam erga Deum gratitudinem testari. *abiit enim cum universa multitudine in Gabaon ubi erat tabernaculum federis Dei & obtulit in illo mille hostias.* a Neque illiberalis erga tam munificum veneratorem sui Deus fuit. Nam *apparuit illi Deus dicens postula à me quod vis, ut dem tibi.*

Mira res quod tanta Deus profusione ad vota ac desideria universa humani cordis implenda, provocari potuit. Si volueris opes omnes, quas immensa cupiditate habendi complecti poteris, has consequeris; si gloriam quantam nemo in terris Regum assecutus est, tenebis: si voluptates etiam quibus ullus unquam hominum affluere visus est, copiosè affundentur. Si inimicorum desideres ultionem; sub pedibus illos tuis habiturus es: si Nestoris aut Mathusalemi annos vitæ petiturus es, & hos indul-

a 2. *Paral.* 1.

gebo. Verbo *postula quod vis, ut dem tibi.* Salomon tamen cum piè prudenterque his omnibus præteritis, Sapientiam Rege magnò dignam à Deo postulasset: audire meritus est. *Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti divitias & substantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant; sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam, & scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te Regem: Sapientia & scientia data sunt tibi: divitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi; ita ut nullus in* Regibus*, nec ante te, nec post te fuerit similis tibi* ᵻ En quantilla liberalitate Salomon tantam erga se Dei liberalitatem provocavit.

Illi veteris legis celeberrimo Regi, unum lubet novæ legis Imperatorem longè nobilissimum adjungere Constantinum Magnum, qui mihi liberalitate quadam cum Deo certasse videtur; ut quantò ille profusius largiretur, tantò hic copiosius refunderet. Quod Catholica Romana Ecclesia, tantâ potestate evecta sit, ut præter hierarchiæ eminentiam Regum exæquet opulentiam (sine qua difficulter hisce seculis adversus Turcæ & hæreticorum vim consisteret).

ᵻ *Ib. v.*

ret) hoc Constanti potissimum munificentiæ tribuendum est. Quemadmodum *in c. Constantinus Dist. 99.* His verbis testatum reliquit. *Utile judicamus, cum omnibus Satrapis nostris, & universo Senatu, & cuncto populo Romano imperio subjacenti; ut sicut B. Petrus in terris vicarius filii Dei videtur esse constitutus; ita & Pontifices principatus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostra serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroq; imperio obtineant.* Quam imperii secularis possessionem, tam longo seculorum consensu usuque hactenus nunquam interrupto probatam, mirum est hujus temporis heterodoxos velle infringere. Sensit constantinus, ubi primùm ad Christiana sacra, per baptismum à lepra corporis animique purgatus transisset: non minus opes regnumque, quàm sanitatem ac vitam sibi à Deo liberali manu donata esse; neque aliter sese, nisi hæc ipsâ pari in Deum liberalitate refundendo, aut gratum esse posse, aut suam ex arbitrio Divino suspensam felicitatem hujus alteriusque vitæ firmare. Ergo ipse, ac pientissima illius Mater Helena, tanquam ad hoc solum nacti opes essent, *ut honorarent Deum de sua substantia,* toto suo imperio

perio diversas erexerunt Deo Ecclesias, quæ præter orientem occidentalis nostra Europa, hodiedum cum admiratione antiquæ pietatis veneratur. Sola Diœcesis nostra Coloniensis plura ad Aram fluviolum templa, alia in Crucis & clavorum formam, excitavit; alia SS. Mauritio Thebæisque consecravit: ut à frequentibus aris fluvium hunc, obrincum quondam dictum, traxisse nomen memorent. Sed quantæ nobilitatis Basilicæ ad Rhenum nostrum ab eadem Helena surrexerunt! Bonnæ SS. Cassii & Florentii, Coloniæ S. Gereonis, Cæsaris Insulæ S. Gregorii, Xantis S. Victoris, Calcariæ ædes parochialis: aliæ alibi: ut S. Paulinus in quadam ad Severum Epistola dicat: *ipsa patefactis ad opera sancta thesauris, toto usa est fisco.* u & alius nonnemo de eadem pronuntiet *Agrippina Mater Castrorum, dicta est, Helena templorum.* Num iccirco Constantinus, aut ipsa, unquam egere visa est? num ob imperii occidentalis sedem ad Pontificem translatam sibi suisque successoribus imperium accidere compertus est? Et opes certè & imperium auxit; ut cum ante uni Maxentio Italiæ tyranno par, nisi ope cœlitus oblata, non esset, reliquis deinde domi

u *Epist.* II.

domi forisque metuendus, Licinium tyrannum alterum diversis præliis frangeret, Sarmatas Gothosque prævio crucis vexillo gloriosus victor subigeret, & amplissima nominis imperiique gloria, sedem regni Byzantium transtulerit, postquam veteri urbe diruta, novam illic Romam suo nomine Constantinopolim dictam, excitasset.

Hic per recentia ac nostræ etiam memoriæ exempla excurrerem, Austriacamque in Germania & Hispania familiam, Borboniam Valesiamque in Gallia, Jagellonicam Bathoreamque in Polonia, hac potissimum erga Deum liberalitate opes suas potentiamque amplificasse demonstrarem, nisi in re compertissima versarer, quæque a summis Europæ Principibus ad postremum usque, suis exemplis constaret. Hoc de Philippo II. Hispaniarum Rege memoratu dignum paucis accenseo concludoque Gravissimum illi ab Anglis Gallisque, armorum conspiratione junctis, bellum incumbebat, viribus ille impar, ad Deum sibi confugiendum esse censuit. Quocirca die S. Laurentii, quo decretoria imminebat pugna ad Sancti illius memoriam Deo illustre monasterium excitandum promisit, Obtinuitque

vid quæras: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* ? Ipsa vides elementa Dei nutu ad tuum obsequium inclinata terram animalia & fruges, aquam pisces, acrē volucres, cælum subministrare sidera: nihil esse, nec supremum quidem in cœlis Deum, quin se totum tibi impendere videatur, & dubitabis hunc *de tua*, quam tibi beneficè suppeditavit *honorare substantia*? quis potest, aut nobilior esse divitiarum usus, aut tibi gloriosior? Hic ipse opum tuarum fructus, siquidem exspectari alius non posset, talis tantusque est, quo te Deo largitorem constituis, ut major optabiliorque homini obvenire non possit. Immensæ cujusdam gloriæ præconium est: *Homo benefactor Dei.*

Deinde, cum hunc suum esse honorem interpretur Deus, ideóque sapiens moneat *honora Deum de tua substantia*: quomodo poteris in rem digniorem opes tuas impendere? magnificis alii has opes impendant epulis, amicos sibi concilient, se familiamque suam splendido apparatu luxuque extollant, duraturas ad multa secula aulas basilicasque moliantur, præsentis futurique ævi honorem comparent, posteros ac nepotes ditent. Levia, peritura, inania sunt uni-

universa; solum quidquid divini nominis gloriæ tribueris, stabit in æternum. Apicii mensæ, Heliogabali luxus, Neronis domus, Theatrum Pompei, Thermæ Diocletiani, mausolæa Regum ac Cæsarum, quid nisi vana sunt nomina, & posteritatis, ad hanc profusionis insaniam ridentis, ludibria. Jacet quoque Salomonis templum, jacet templi & sacrificiorum apparatus; at honor Deo præstitus, opes illis impensæ, nullius ævi memoria, aut ingrati animi detestatione sepelientur. Quo igitur potius opes à Deo acceptas convertas, quam ad obsequium illius, qui te condidit, qui te *gloria & honore coronavit*, & largitus universa, *constituit super omnia opera manuum suarum*? Non ignorabat hæc Rex David, ingentes pro templo opes Deo offerens, dum inquit; *quis ego, & quis populus meus*, l *ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* *Si* enim, ut Salviani verbis utar, m *omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea, quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in ejus opere consumere, quæ de ejusdem sumpsimus largitate. Hoc enim est agnoscere munus Dei, & divinis*

F 7 *bene-*

l *Paral* 29.14. m *loc. supra cit.*

beneficiis bene uti, ut datis suis illum honores, à quo data ipsa acceperis. Nihil omnino est quod Deum ad largiendas tibi opes, aut induxit unquam, aut incitare magis possit, quam honor ipsius & gloria. Propter hanc cœlum terramque, propter hanc teipsum, propter hanc opes condidit universas. Omnia creata Deus bona, etiam seipsum largitur homini Deus, impenditque creaturæ bonum increatum: verùm suam sibi hinc soli vendicat gloriam, quam nulli vult creaturæ communicatam. *gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo.* n Hæc messis omnium divinorum est operum, hunc solum ex omnibus fructum Deus colligit. O felicem illum igitur divitem, qui hanc suis voluerit opibus amplificatam; infelicem ac melius nunquam natum, qui illam neglexerit. *Honora Dominum de tua substantia.*

Denique cum cujusque opum possessoris sit, nisi agat improvidè, opes resque suas quam tutissimo collocare loco, ubi minime pereant, & in quavis illas necessitate repetere liceat: quis obsecro tutior, copiosiorque ad refundendum, etiam cum fœnore, locus esse poterit, sinu Dei? Sunt qui existimant

n *Isa* 42. 8.

mant apud amicos tutissimè opes collocari, de quo argumento ita philosophatur Seneca, ut deficiente licet amicorum gratitudine, tamen in hos rectè conferri opes putet, quod beneficium nunquam pereat. *Beneficium*, ait, *eripi non potest, non enim res, sed actio est.* o Quam sententiam M. Antonius apud Rabirium Poetam secutus est, cum spoliatus jam dejectusque spe ac fortuna omni exclamaret: *Hoc habeo quodcunque dedi.* Cui Martialis suffragatur dum canit:

Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Quod si itaque bene custoditæ opes censeantur, quæ in sinu amicorum vel pauperum reconditæ sunt, & perire nequeant beneficio perennante, manifestum est, neque potiorem te habere Deo amicum, qui tam innumeris benevolentiæ signis complexus est hactenus; neque potentiorem, qui quod quantumque vult, potest reddere; neque liberaliorem, qui nullis se patitur donis superari: neque fideliorem, qui in necessitate nunquam compertus est amicis defuisse: neque magis memorem, qui beneficium in se collatum sua in mente vult esse sempiternum.

o *Lib, 1. benef.*

Postremò sola spes, quam in Deo, translatis ad illum opibus, collocas, longè certior illa est, quàm quæ in opibus apud te relictis collocatur; ut si Deus nihil bonorum in te refunderet: ditior tamen creditis Deo opibus, quàm tibi servatis futurus esses. Nullus enim omnino casus traditas Deo opes potest extorquere: quas tibi eripere possunt ex arca quam plurimi. quot bello, furtis, igne, casuue alio spoliantur bonis, momento ex divitibus pauperes, ex felicibus miseri ac desperati, qui collocatas apud Deum opes spe freti perpetua, obtinerent. Custos Deus certissimus est. Noverat hoc Apostolus gentium, ideóque Timotheum hortatus est. *Præcipe divitibus hujus seculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnibus abunde ad fruendum.* p Ad hoc Apostoli præceptum inclinavit aurem Lusitanus mercator Petrus Vellejus, ad quem Machai apud Sinas latrunculis, extra domum, ludentem S. FRANCISCUS XAVERIUS (ut in vita est. q) accessit, & in piam caussam erogandam à se pecuniam orat. Vellejus, quanquam importuno sibi tempore loco-

p *1. Timot. 6. 17.* q *Tursel. l. 5. c. 3. & in actis canoniz.*

focoque instantem, Xaverium non repulit, sed porrecta ad arcam clave, jubet inde, quantum vellet, depromere. Xaverius trecentis hinc sumptis aureis, clavem refert, monetque quantum à se acceptum pecuniæ fuerit. Tum Velleius. Parcè nimium, mi Pater, sumpsisti. Erant in illis triginta aureorum millia: hæc inter nos summa dividenda erat, dimidiumque assumendum tibi. Ita enim clave oblatâ cupiebam. Sensit vir sanctus Velleium syncero hæc liberalique erga Deum animo prolocutum, ideóque divinæ retributionis, etiam hac in vitâ, certus: *audi*, ait, *mi Velleie, quandoquidem tâ profusione erga Deum uteris, certò tibi persuasum habe, nihil tibi in vita unquam, inter extrema quoque pericula defuturum: prætereaque, supremum vitæ diem tempori tibi prænuntiandum; ne imparatus hinc abeas.* In neutro hæc fefellit promissio Nam neque inter gravissimos deinde fortunæ casus quicquam unquam Velleio defuit, quamquam profusissimæ in pauperes & res divinas liberalitatis fuerit: neque mortis tempus, jam in senio, sed vigoris etiamnum pleno, cognitum fefellit. Etenim ille, cùm nulla morbi mortisque vestigia adessent, divinitùs tempus horamque sui abitus intelligens:

ligens; rem domi familiarem inter suos & pauperes partitus, funebria in templo jubet apparari, invitatisque ac salutatis ultimùm amicis, ipse sese in parato ad hoc feretro componit, adductoque velut ad somnum tapete, cum plerique bonum senem delirare crederent, sacrum Missæ officium peragitur; sub cujus finem dum, *requiescant in pace*, concinitur, accurrunt famuli, reducto tapete, velut scena jam peracta, erecturi dominum, & jam illum expirasse, atque ad depositos in cœlo thesauros abiisse deprehendunt. Tanto cum fœnore rependit Deus, sibi opportune credita. Expertus eandem Dei etiam hac in vita munificentiam est Cosmus Medices magnus Hetruriæ Dux ut Mediceæ familiæ fert historia. Ille enim cum jam supra quinque auri milliones partim in egenos, partim in ædificia, eaque præcipuè sacra impendisset. denique excussis rationum fasciculis ærarioque inspecto hanc prænuntiavit sententiam: *se quantalibet numorum suorum profusione, tam in egenos, quàm in loca sacra, id obtinere non potuisse, ut inter debitores suos Deum numeraret*. r Experientia vir tantus discebat, plura Deum in opibus refundere, quam ipse tanta libe-

r *Histor. illustr. Medicaor.* vixit an. 1440.

liberalitate in Deum profunderet. Non servari tantùm, verum & cumulari certissimo fenore illas, quæ divinæ custodiæ traduntur divitiæ. Sed quod illustrius exemplum quam ex S. nobis literis de Salomone potest suppeditari, qui in regium Israelis solium post Davidem subrogatus, nihil antiquius habuit, quàm singulari liberalitate suam erga Deum gratitudinem testari. *abiit enim cum universa multitudine in Gabaon ubi erat tabernaculum federis Dei & obtulit in illo mille hostias.* a Neque illiberalis erga tam munificum veneratorem sui Deus fuit. Nam *apparuit illi Deus dicens postula à me quod vis, ut dem tibi.*

Mira res quod tanta Deus profusione ad vota ac desideria universa humani cordis implenda, provocari potuit. Si volueris opes omnes, quas immensa cupiditate habendi complecti poteris, has consequeris; si gloriam quantam nemo in terris Regum assecutus est, tenebis: si voluptates etiam quibus ullus unquàm hominum affluere visus est, copiosè affundentur. Si inimicorum desideres ultionem; sub pedibus illos tuis habiturus es: si Nestoris aut Mathusalemi annos vitæ petiturus es, & hos indul-

a 2. *Paral.* 1.

gebo. Verbo *postula quod vis, ut dem tibi.* Salomon tamen cum piè prudenterque his omnibus præteritis, Sapientiam Rege magnò dignam à Deo postulasset: audire meritus est. *Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti divitias & substantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant; sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam, & scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te Regem: Sapientia & scientia data sunt tibi: divitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in Regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tibi* [1] En quantilla liberalitate Salomon tantam erga se Dei liberalitatem provocavit.

Illi veteris legis celeberrimo Regi, unum lubet novæ legis Imperatorem longè nobilissimum adjungere Constantinum Magnum, qui mihi liberalitate quadam cum Deo certasse videtur; ut quantò ille profusius largiretur, tantò hic copiosius refunderet. Quod Catholica Romana Ecclesia, tantâ potestate evecta sit, ut præter hierarchiæ eminentiam Regum exæquet opulentiam (sine qua difficulter hisce seculis adversus Turcæ & hæreticorum vim consisteret).

[1] *Ib. v.*

hoc Constanti potissimum munificen- tribuendum est. Quemadmodum *in* *nstantinus Dist. 99.* His verbis testatum quit. *Utile judicamus, cum omnibus Sa- is nostris, & universo Senatu, & cuncto lo Romano imperio subjacenti; ut sicut B. us in terris vicarius filii Dei videtur esse itutus; ita & Pontifices principatus po- tem amplius, quam terrena imperialis ra serenitatis mansuetudo habere vide- concessam à nobis nostroq; imperio obti- nt.* Quam imperii secularis possessio- , tam longo seculorum consensu usu- hactenus nunquam interrupto proba- , mirum est hujus temporis hetero- os velle infringere. Sensit constantinus, primùm ad Christiana sacra, per bapti- m à lepra corporis animique purgatus sisset: non minus opes regnumque, m sanitatem ac vitam sibi à Deo liberali u donata esse; neque aliter sese, hæc ipsa pari in Deum liberalitate re- dendo, aut gratum esse posse, aut suam rbitrio Divino suspensam felicitatem is alteriusque vitæ firmare. Ergo ipse, ac tissima illius Mater Helena, tanquam oc solum nacti opes essent, *ut honora- Deum de sua substantia*, toto suo im-

perio

perio diversas erexerunt Deo Ecclesias, quæ præter orientem occidentalis nostra Europa, hodiedum cum admiratione antiquæ pietatis veneratur. Sola Diœcesis nostra Coloniensis plura ad Aram fluviolum templa, alia in Crucis & clavorum formam, excitavit; alia SS. Mauritio Thebæisque consecravit: ut à frequentibus aris fluvium hunc, obrincum quondam dictum, traxisse nomen memorent. Sed quantæ nobilitatis Basilicæ ad Rhenum nostrum ab eadem Helena surrexerunt! Bonnæ SS. Cassii & Florentii, Coloniæ S. Gereonis, Cæsaris Insulæ S. Gregorii, Xantis S. Victoris, Calcariæ ædes parochialis: aliæ alibi: ut S. Paulinus in quadam ad Severum Epistola dicat: *ipsa patefactis ad opera sancta thesauris, toto usa est fisco.* u & alius nonnemo de eadem pronuntiet *Agrippina Mater Castrorum, dicta est, Helena templorum.* Num iccirco Constantinus, aut ipsa, unquam egere visa est? num ob imperii occidentalis sedem ad Pontificem translatam sibi suisque successoribus imperium accidere compertus est? Et opes certè & imperium auxit; ut cum ante uni Maxentio Italiæ tyranno par, nisi ope cœlitus oblata, non esset, reliquis deinde

domi

u Epist. 11.

domi foriſque metuendus, Licinium tyrannum alterum diverſis prælijs frangeret, Sarmatas Gothoſque prævio crucis vexillo glorioſus victor ſubigeret, & ampliſſima nominis imperiique gloria, ſedem regni Byzantium tranſtulerit, poſtquam veteri urbe diruta, novam illic Romam ſuo nomine Conſtantinopolim dictam, excitaſſet.

Hic per recentia ac noſtræ etiam memoriæ exempla excurrerem, Auſtriacamque in Germania & Hiſpania familiam, Borboniam Valeſiamque in Gallia, Jagellonicam Bathoreamque in Polonia, hac potiſſimum erga Deum liberalitate opes ſuas potentiamque amplificaſſe demonſtrarem, niſi in re compertiſſima verſarer, quæque a ſummis Europæ Principibus ad poſtremum uſque, ſuis exemplis conſtaret. Hoc de Philippo II. Hiſpaniarum Rege memoratu dignum paucis accenſeo concludoque Graviſſimum illi ab Anglis Galliſque, armorum conſpiratione junctis, bellum incumbebat, viribus ille impar, ad Deum ſibi confugiendum eſſe cenſuit. Quocirca die S. Laurentii, quo decretoria imminebat pugna ad Sancti illius memoriam Deo illuſtre monaſterium excitandum promiſit, Obtinuitque

nuitque tam raram ab Henrico II. Galliar. Rege ad S. Quintinum victoriam, ut attritis ille prorsus viribus nil deinde egregium ausus sit. Philippus igitur, qui tam præsens cælitum auxilium expertus esset, non minus in exequendo munificus, quàm promittendo liberalis, apud Escurios monasterium veluti quadruplicatum (Escuriase à loco dictum) D. Laurentio excitavit; cum palatio regio tam amplo, ut aulis suis, atriis porticibus, conclavibusque quatuor Regum habitationi sufficiat, & intra septa fontes quadraginta facilè recenseat. Academia hic insignis est, in qua omnium facultatum disciplinæ traduntur, bibliothecamque regiam conjunctam habet, quæ sua latitudine pedes 32. longitudine 185. complectitur. Monasterii latera, quæ quatuor angulis absolvuntur, ad passus 224. excurrunt. Omnia ex variegato marmore, crystallo, jaspide aliisque pretiosis lapidibus fabricata sunt; ita ut jure omnium orbis miraculorum, hoc in ædificiis princeps, gloriosumque maximè, videri possit? x Neque hæc liberalitas, Deo præcipuè ejusque honori impensa, quantumcunque opum absumpserit, quicquam Philippi rebus detrahere visa est, cum fœnore centuplicato, ex India, Lusitania aliisque regnis,

x *Ortelius in Cosmogr.*

regnis, ita opes affluxerint, ut potentissimis deinde Europæ Africæque Regibus Hispanos fecerit metuendos. *Honora* itaque *Dominum de tua substantia, & implebuntur horrea tua.*

QUÆSTIO XIII.

An non Minori longè emolumento opes in cistu custodiantur, quam in homines, etiam indignos, Dei nomine profundantur?

PHilosophorum antesignanus Aristoteles pronuntiaturus de homine verè divite sententiam: *Divitem esse*, inquit, *magis in utendo, quam possidendo consistit.* x Neque sua opinione falsus est; nam si in sola possessione auri divitũ sit felicitas, ditior canis; qui auro defosso incubaret custos suo esset habendus Domino, cum multò illud possideret propius. Jam asinum deportatorem thesauri, quis esse censeat verè divitem? Xenephontis de Cyro hic juvat recitare sententiam. *Non eos*, inquit, y *qui plurimas pecunias possident & custodiunt, felices duco: nam hoc pacto qui mures custodiunt felicissimi forent. quippe qui omnia quæ sunt in urbibus custodiunt; sed qui parare quamplurimas*

x 1. *Rhet. c.* 5. y *Xenoph. l.* 8.

rimas justè potest, & eu praeclarè uti. Hunc felicem arbitror, & pecunias ejus etiam felices. Servilis planè occupatio est divitiarum custodia; multò abjectior, quam custodia urbium, aut palatiorum: cum talis custodia rei mortuae ac brutae, haec adhibeatur praeditis ratione hominibus. Utrumque tamen servile opus est. Quod siquis igitur paterfamilias suis ipse custodiam praestet opibus, illarum magis servus est, quàm Dominus, cum illas, non sibi, verùm illis semetipsum impendat. D. Hieronymi z voces sunt: *qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem excusserit jugum ut Dominus distribuit eas.* Par Chrysostomi a mens & oratio. *Quid insipientius servo pecunia? tenere sibi videtur, cum ipse teneatur. Videtur sibi Dominus cum sit servus, & cum vincula sibi ipsi circumdederit, quasi in omnes imperium habens gestit.* a Ideirco, inquit, *habes pecuniam, ut paupertatem submoveas, non verè adscis: as, tu verò praetextu levandi, majorem miseriam efficis, benignitatemque vendis pecunia. Vende, non prohibeo, sed regno caelorum. Ne parvum tanti facti pretium acceperis, nempe usuram centesimam sed vitam illam*

z In Matthaeum. a De divit. & paup. tom. 5.

illam æternam. Cur mendicus es, & pauper, & angusti animi, parvo, hoc est pecunia pereunte magna vendens? Cur Deo relicto humana lucra lucraris? Cur divitem præteriens, non habenti molestus es, & gratiam referentem deserens, apud ingratum te ingeris? ille cupit referre gratiam, iste vero gravatè etiam refert; iste vix centesimam reddit, ille verò centuplum: iste cum contumeliis & conviciis, ille cum laudibus, & approbatione: iste tibi invidiam exsuscitat, ille verò coronas etiam concinnat Quare si me, si aureum hunc oratorem, si Christum in hac etiam vita centuplum promittentem audis, opes tuas in tam laudabilem usuram expendas.

Docui alibi illorum, quæ supra necessitatem affluunt, bonorum, non manere te possessorem æquum, sed deberi illa Deo, aut pauperibus. Quare ut administratori eorũ, ubi sese obtulerit indigus, nullum hic quærendum subterfugium est, non longa ille mora fatigandus, non in vitam personamque ipsius inquirendum. Tuum in te intuere debitum, in illo personam Christi. Quid enim ad te spectat quis ipse, quando reverentiam obsequiumque illi debes, cujus ad te venit nomine? *Sive prædo is fuerit* (utor verbis Chrysostomi) *sive aliud quidvis,*

num

num eapropter vel pane tibi, vel argenteis nonnullis, & paucis appares indignus, cumque, cui Dominus tuus orientem fit solem imparti- tus perexiguum ipse cibatum & tenuem vi- ctum non existimas mereri? Quin etiam, quod dictu summum est, si hunc compertum ha- beas innumeris esse vitiis constipatum, eoq; parvo & exili cibo fraudaveris, nihil id tibi ad excusationem prodesse poterit. cum illius præsertim Domini servus sis, qui dixit: num ignoratis ex quo patre sitis? illius præterea fa- miliaris, qui se lapidantes animo tulit patien- ti, imo pro se lapidantibus in crucem sublatus est? b Pergit idem eodem in argumento Doctor, & Christi erga Judam exemplo nos convincit, quem licet non ignoraret prodi- torem, mensa tamen, osculo, verbisque hu- manissimis dignatus est; & nec ipsos qui- dem crucifixores suos solitis beneficiis cō- plecti destitit, verbis amicis compellans, prostratosque erigens, quos sola poterat voce conterere: ut nihil tanta humanitate dignum præstet, qui cum pauperes muneri- bus non solatur, verbis etiam acerbis casti- gatos dimittit: non tam hominibus, quàm Deo suo injurius. Ut vero ejusmodi se dis- pensator opum non fallat, noverità sua hanc

cupi-

b *Serm. de non scrutandis paup. tom. 5.*

idit ate atque avaritia personarum acce-
onem proficisci. Satis esse eleemosyna-
a largitori debet, Christi ad se venire no-
ne pauperem, à quo siquis etiam canis de-
aretur, repudiari non posset.

Iterum stultus amor pecuniarum sive a-
rum opum facit: ut quandoque cultus
ei ad tuam aliorumque salutem necessa-
is illic deficiat, ubi tu opportuno subsidio
lesse, illumque promovere posses. Squalet
cclesiæ neglectum decus, aræ pro sacris, &
oncionibus deseruntur: deficiunt alimen-
orum defectu, qui ignorantes instruant,
berrantes ad ovile Christi deducant, & tu
nterea opibus affluis, quas vel in cistis lacu-
isque inutili sepultura defodis; vel in co-
piosum satellitium, neque necessarium
mensæ aulæque apparatum, in luxum lu-
xuriamque impendis: vel heredi supra ne-
cessitatem locupletando, aut ingrato, incer-
toque, reservas. Quam obsecro hujus ne-
glectus Domino tuo, cui quod tibi supera-
bat, mille titulis debebatur, rationem, es da-
turus? Ille dator bonorum omnium præ
inopia deseritur, & tu abundas? illius honor
negligitur, tuum decus, atque utinam non
sæpe dedecus, procuratur. illi, *qui dat escam
etiam jumentis in tempore opportuno*; *c* nec
suis

suis quidem in famulis per te providetur, eget Dominus rerum omnium sua in familia, & servus administrator in sua domo opibus superfluit. An sapientis Siracidæ monitum ignoras, *Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer* d Quid est, quærit in loco hoc Jansenius, Deo offerre oblationes dignas, nisi ut de melioribus bonis, & liberali manu, non parcè nimium deferantur? Abelis te potius, quàm Caini imitatorem sapiens monitor esse desiderat, ille tenui frugum proventu, avarus erga Deum rerum suarum dispensator, venerabatur Dominum; hic lectissima gregis sui capita liberalis præbitor destinabat in victimam. *factum est*, ait scriptura, e *ut offerret Cain de frugibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Qua verò utriusque muneris apud Deum gratia? *respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Quo eventu discas, ex opibus etiam tenuiter affluentibus suam Deo largitori deberi partem cùm primorum parentum res principio satis tenues, & solo tantùm grege, partisque ex agricultura frugibus consisterent; auro ac negotiatione

d *Eccle.* 14, 11. e *Gen* 4, 3.

one nondum cognita. neque difficulter igas, quid in maiori opum copia & deu rerum à te Deus præstoletur. Ad hæc ur præstandá, si animum manumque ıtractam adferas, Dei honorem, proxique atque animæ tuæ salutem opibus ſſessis etiamnum post habes, tuarum sers divitiarum non verò Dominus es, pecuım sine tuo emolumento, sine honesto cro cum magno etiam opprobrio damɔque ad æternum servas interitum. Nulla ıc te quoque purgabit excusatio à quorunım Ecclesiasticorum dissolutione, & malè ɔllocatis proventibus petita ille hic tibi nte oculos habendus erat, cuius observaioni honorique illud opum tuarum pēsum ributumque debebatur. non hæc impenlenda erant homini, sed Deo. Cum ad iudicium veneris, sententiam ab illis quæ sibi Christus præstita, aut negata viderit petiturus: hinc gloria tibi solum adstruetur, aut damnatio, quinam fuerint homines, quibus tua hæc dona cesserint, tuâ nihil ad præmium pænamve intererit seu Iudæ, seu Petro Christi aliquid nomine collatum fuerit, parum momenti ad munerationem habiturum est: nisi homini magis gratiam præstiteris, quam Deo quo facto spem omnem

remunerationis à Christo præscidisti. Illud tamen non negavero circumspecti largitoris esse, non videre tantum, qua in parte Ecclesia, aut familia Christi magis egeat, sed etiam, quo collocata abs se loco, maiorem Dei honorem, proximique ad salutem emolumentum habitura sint. Prudentem enim dispensatorem amat Deus, qui non sine fructu concessa profundat, sed cum utilitate, ad quam opes natæ sunt, indigentibus largiatur. Tam nimia hic in vitio cura est, quam nulla.

Medio tutissimus ibis.

LIBER II.

CAPUT I.

Non est difficile recta ratione utenti, illum consequi vitæ statum, in quo verè dives habendus sit.

UT quis illum assequatur vitæ humanæ statum, in quo verè dives habeatur, hoc est suo contentus vivat, nihilque supra hoc, quod possidet, inquieto desiderio concupiscat, unum præcipuè spectandum est, ad quod velut poli cynosuram, in turbulento mundi pelago, navim dirigat: nempe, ut intelligat, quæ sit Dei supremi moderatoris voluntas, quam illa ipsi portionem opum tributam voluerit, quibus finibus circumscriptam, quibus officijs impendendam. Nisi enim prorsus amens sit, facilè perspiciet, se in magni illius patrisfamilias potestate atque arbitrio constitutum, cum regio Vate iure dicere: *Sicut oculi servorum in manibus Dominorum, ita oculi nostri ad te Dominum Deum nostrum.* a Quicunque in Christi Ecclesia, tanquam familia quadam

a *Psal.* 122, 2.

dam, sunt. hi ad illis quoque vineæ partem excolendam; ut operarii conducti sunt. otiari non possunt. quisque, juxta tempus viresque sibi concessas, ad destinatum sibi laborem tenetur. Vel; si magis alia ex Christi ore parabola placeat, suo à Domino talento donatus est, juxta quod negotiationis lucrique profectus exigetur, & *cui multum datum est, multum quæretur ab illo.* b Cuperem illam te parabolam paulò altius expendere, & juxta hanc veritatem quam animo tuo impressam vellem, ne in præcipuo verè opulentorum hominum fundamento aberrares. In primis te in illius supremi Patrisfamilias domo servum esse iure statuo. ideoque primò te hujus muneris impositi gratia alendum à Domino esse, si tuo non desis officio, fide non dubia affirmo. Deinde te non perfunctoria meditatione evolvere cupio, nihil, aut parum servos esse sollicitos, iubeantur ne ab hero in bobus arare, an in equis: hunc, an illum ad forum venalem ducere. centum, an mille nummi pro negotiatione exercenda dentur: cùm juxta illud, quod cuique datum fuerit, rationem exigendam esse norint; neque absolutos sese possessores aut Dominos esse, sed

b *Luc.*12:48.

ſed patremfamilias : qui hæc & illa pro arbitrio, eripere de manibus poſſit, & alia reponere. Duabus potiſſimum de cauſis affligi ſervus queat, ſi vel nihil ipſi credatur operis, tanquam inutili: vel nimio obruatur labore, cui ſuccumbendum ſit. Non obſcura parabolæ expoſitione Chriſtus ipſe hanc rem illuſtrat: dum ait: c Hominem peregre abeuntem vocaſſe ſervos, & *uni* dediſſe *quinque talenta, alij duo, alij unum*, ſingulosque ex illis ita negotiatos eſſe, ut quinq; talentorum poſſeſſor alia quinque, duorum alia duo lucri fecerit. Vnius verò talenti administrator lucrum deſidiosè neglexerit, gravi Domini offenſione perſtrictus. Nemo illorum ſervorum quæſtus eſt (neque iure, & cum ratione id poterat) quod minus acceperit reliquis. Potuiſſet hæc ſanè excuſatio unius talenti procuratori ad defenſionem prodeſſe, ſiquid in illa fuiſſet ponderis. Iterum ſatis fecit ille gemini talenti poſſeſſor, non minus, cum ſolum duo alia numeraret in lucro, quàm qui adiecerat quinque talentis in lucro totidem. Parem à Domino laudem honoremque retulit. Animadvertis opinor, quo te ducam denique, aut ad quid Chriſtus te, ut dixi, inſtruxerit. Vnum ex

c *Mat. 25. 14.*

ex hisce te servis ut dixi facio. nego tua referre quicquam, multumne, an parum tibi in hujus vitæ opibus à Deo tribuatur. si parvi agelli possessor fueris, de parvo reddenda erit ratio, si magni, de magno. Ex utrisque tibi negotiatio instituenda est, & lucrum par opibus reportandum, ex quinque talentis quinque, ex duobus duo reponenda in lucro. Hoc solum discriminis est, quòd quò plus opum tibi est tributum, plus operis curarumque ac lucri requisitum sit. teneberis in rationibus accepti expensique ad omnia, etiam assem ultimum, quem si defoderis, atque inutilem tuo esse siveris Domino, offensionem non subterfugies. Duo tantum horrere, & jure deprecari à Domino poteris cum Sapiente *d mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* Nam utrisque his minus benevolus Dominus videtur: mendicis, quia ut inutiles ad negotiandum servi negliguntur; divitibus quia nimio opprimuntur curarum negotiorumque onere, qui vix æquum ex omnibus lucrum possunt diducere, ut rationibus Domino reddendis pares sint. Non fallit Christus: *cui multum datum est, multum quæretur ab illo.* Duorum talentorum possessor, duo pro lucro red-

d *Prov.* 30:8.

reddidit, & satisfecit: qui quinque acceperat, reposuit duplicato fœnore, alia quinque. Vtinam hanc veritatem adeò certam manifestamque mortales apprehenderent, nemo facilè locupletiorem sortem invideret alteri, suo quisque talento acquiesceret, de illo solum cumulando sollicitus, gauderet etiam tenuiori in re, quando minori se oneri, & salutis discrimini obiectum videret. Si Deus cuique mortalium optionem hanc daret, ut eligeret sibi quisque sortem, quam vellet, omnesque nobilitatem, divitias, imperium in reliquos præoptarent vitæ rusticæ, tenui, subjectæ: quanta, obsecro, repentè orbis totius existeret confusio, dum nemo agrum colere, mercimonia exercere, subesse vellet alteri? En igitur quantæ insaniæ hoc tuum votum sit. quo hoc postulas, quòd alijs concedendum esse nequaquam existimas, Tuis tete opponeres precibus, si Deus hoc alijs petentibus largiretur? ut quid igitur hoc pro te votum concipis? Multo consultius hominum votum esset, si cuncti agricolæ, aut tenues negotiatores, aut subditi esse desiderent: nam per ejusmodi etiamnum homines orbis subsisteret, neque in extremam omnia ruinam impellerentur. Juvat hic auream D. Chry-

dentissima igitur Numinis dispensatione factum est, ne hi deficerent. Vt quid ergo molestè fers, si inopis tibi potius quàm divitis personam sustinēdā Deus imperavit si militis potius, quàm Ducis? An nescis te in mundo hoc, velut theatro, versari? Sua cuique in tragœdia persona tribuitur: alter Princeps, alter aulicus, tertius assecla: quartus miles, quintus agricola. suus ad hæc cuique habitus designatur. Hoc discrimen personarum si tragœdiarchus negligat, omnesque aut reges, aut rusticos inducat, nulla erit dramati gratia. Varietas itaque hæc necessaria. Quod verò Regis personam uni, alteri rustici tribuat, hoc aptè ad ingenium cuiusque præstare censendus est: ut stultè facturus sit agricola, qui regiam, rex qui agricolæ personam affectarit. Non impar mundi conditio est, in quo velut theatro versamur omnes, Deo suam cuique personam, naturæ magis congruam, imperante. Quis hic, nisi insanus obluctetur? An quid tibi præ reliquis conveniat, Sapientius ipse Deo autore naturæ dijudicabis? an ignoras suo quemque in habitu cultuque accersiri? laudem cuique tribui, & honorem actori esse, non ex personæ impositæ dignitate, aut vilitate, sed actionis & morum

apta suo muneri elegantia? an nescis denique brevi regem hunc rusticumque scenicum, suâ exutos veste, pari, ex qua ad theatrum prodierant, conditione habendos? Vt quid igitur, vel de persona alia, vel de apparatu opum cultuque, quàm Deus imperavit, sollicitè in hac vita laboras. Esto quod es, atque hoc solum agas, ut aptissimis personam, quam geris, sive divitis illa sit, seu pauperis, moribus exprimas. namque hoc solum est, ex quo pœna tibi præmiumve sit exspectādum. Cetera nec Deus, nec quisquam verè sapientum æstimabit.

Si tamen etiamnum quereris, quod aliam tibi Deus, vel naturam, vel nascendi vivendique sortem non attribuerit: planè infelici querimonia adversus Deum factorem tuum distringeris. *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo; quid facis? Ego feci terram, & hominem super eam creavi*: (dicit Dominus) *manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi* a & tu homo nihili illius te creatoris, mandatorisque supremi voluntati opponas?

Finge Deum hanc supremæ moderationis curam providentiamque tibi tantisper, cum

a *Isa. 45. 1.*

cum summa potestate, deferre. an existimas sapientius à te posse administrari orbem? Fac te cuilibet mortalium velle esse benevolentissimum, ac tantum largiri opũ, quantũ ipse concupiscet an existimas posse satisfieri? si Pygmalionis opes dederis etiam Crœsi Crassiq; opulentiã affectabit, si regnum Cyri detuleris, etiam Augusti quæret Cæsaris imperium, nec acquiescet, nisi Europam Africæ, Asiam Americæ, & utrisque iunxerit Indijs. orbi denique unum toti præficiâs, qui si cum Alexandro audierit, plures orbes possideri, inhiabit universis.

Vnus Pellæo iuveni non sufficit orbis
Æstuat infelix angusto limite mundi:
Vt Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho,
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem.
Sarcophago contentus erit. *Iuvenal.l.*10.

His tumuli angustiis quidem in morte acquiescet corpus, verũ animus, nisi immortali bono, satiari nunquam poterit. Vnde nihil magis vanum est, quàm velle aut suæ, aut cujusquam alterius cupiditàti, hujus vitæ opibus, satisfacere. Cum quòd hydropicis in potu evenire solet, qui quo plu-

ra hauserunt, sitiunt plura, id plerumque & cupidis accidat, ut maioribus opibus habendi desiderium accendant, medias inter aquas Tantali. Rectè Livius scriptor gentilis, *quantò minus rerum, tantò minus est cupiditatis.* g auge res, & accrescet cupiditas. Quare nullus hic alius in hoc mundo ad quietem satietatēque ostenditur exitus, quā qui in modo est, à prudentissimo omnium provisore Deo cuilibet præscriptus. Quem cum Deus sorte cuilibet, ex sua providentia distributum statuat; non insanum tantùm sed frustraneum quoque futurum est, si quis supremæ illius ordinationi adversetur, nam talis, si Deo sapientior non est, quemadmodum viâ aliâ providebit? si potior non sit, quomodo à Deo æternis providentiæ legibus constituta immutabit? Ergo velis, nolis, acquiescendum est divinæ voluntati, & hoc qualecunque tibi talentum oblatum est, acceptandum. Quid dubitas, restitas, obluctaris? citius suis cælum evelles cardinibus, citius inferis superos permiscebis, & in antiquum omnia chaos reduces, quàm divinam refractarius convelles voluntatem, quantum tibi concessit, possessurus es; quod negavit, numquam obtenturus,

g *Dec.* 1. *lib.* 1.

turus. seu quinque sint talenta, seu tantùm unicum, pari erit pomptitudine acceptandū.

Volebat Deus Amanum, ex summo aulæ principatu omnique opum affluentia ad infimam humanæ conditionis sortē ob superbiā devolvi, Mardochæū suæ religionis pietatisq; tenacem, ad suprema dignitatis evectū fastigia. Quam levi hæc momento, quā raro tamen sortis nostræ spectaculo Deus peragit? Vt magis utriusque fortuna emineret, Amanus antè Deo moderante ad summa extollitur. Mardochæus ad ima præcipitatur. *Rex Assuerus*, ait scriptura, *exaltavit Aman, & posuit solium eius, super omnes principes* h nihil deerat, nisi ut corona potitus ac sceptro, Rex proclamaretur, qui repentè, potestate & annulo abusus regio, Mardochæum æmulum omnesque Iudæos decreto publico ad mortem destinabat, decem etiam talentorum millibus ex bonorum confiscatione donandus. Neque moratus, ad diē neci designatum in Mardochæo etiam prævertendum quinquaginta cubitorum i patibulum erigit, ut in eo luce prima hostem lætus suspensum intueretur. Interea Mardochæus in luctu & squalore, *indutus est sacco, spargens cinerem capiti, &*

 in platea

h *Esth.3.* i *Est.5.14.*

in platea mediæ civitatis, *voce magna clamabat*, *ostendens amaritudinem animi sui* k non tam proprio, quàm totius gentis exitio perculsus. Verùm *non est consilium contra Dominum*: aliud ipsi visum fuit Mardochæũ in equo voluit honorari regio, Amanum despici in patibulo; quamvis Amanus sibi equum, Mardochæo destinasset patibulum. *Alia* enim *consilia Dei, alia hominum*. Sed vis scire quantillo momento & inclinatione rerum Deus hanc utriusque sortem verterit? Insomnem Rex agebat noctem, utque tempus falleret, annalium historiarum revolutione didicit, Mardochæum compertæ fidelitatis in regem, quam in detecta conspiratione Eunuchorum præstitit, nullum tulisse præmium? contra verò à Regina cognovit Amanum Mardochæo, Iudæisque omnibus machinari exitium: inde celebris hæc felicitatis utriusque conversio & Aman in patibulo, Mardochæus in summo aulæ principatu repentè conspectus est. *l* Vna Regis voluntas & vox, *appendite eum*, suffecit, & *Aman suspensus est in patibulo, quod paraverat Mardochæo m* rursum una Regis sententia domum, opes, & honores Amani transtulit: ad Mardochæum *tulitque Rex annulũ*: *quem*

k *lb.* 4.1. l *Esth.* 6. & 7. m *Esth.* 7. 9.

quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochao. Esther autem constituit Mardochaum super domum n ita nimirum

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Verè illa Domina mundi cecinit. *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes?* Tantam verò felicitatem Mardochæi iure optimo confidētissimæ illius in Deum voluntati tribuamus. Quàm enim hæc parati ad omnia animi oratio est, *Domine, Domine, Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tua voluntati* p Ita est, o Mardochæe, ita est, verè sensisti, nemo est qui divinæ possit resistere voluntati, quæ cuique largitur, prout æternis providentiæ legibus requisitum est in tali rep. quæ sine egentium & abundantium, sine imperantium & subditorum discrimine, aut consistere nequit, aut hujus vitæ legibus administrari. Ita Deus statuit, quis contradicet? ita sapientissimis providentiæ decretis ordinavit, quis corriget? Quòd Deus statuit, cum summa statuit ratione, ut rationis expers sit, quicunque obluctatur.

Aperiam hic aliquam divinæ Sapientiæ, regu-

n *Ib.* 8, 2. o *Luc.* 1. p *Esther* 13, 9.

regulam, ex cujus legibus multa ordinat, quæ cum vulgus non capiat, tantùm admiratur, & quandoque etiam ſtultiſſima temeritate damnat. Axioma in ſcholis Philoſophorum receptum eſt: *contraria juxta ſe poſita magis illuceſcunt.* Hoc tum ex ratione, tum ab experientia deſumptum, in operibus divinæ omnipotentiæ clariſſimum eſt. A ſummis ad ima quæque progredere: invenies ſuo quævis illuſtrari ſimul & oppugnari contrario. Ne per omnia, cùm elementa, tum præcipuè mixta inter ſe pugnãtia incedam, vnus homo quot contrarijs interſe rebus cõſtat! ex diverſiſſimis naturis compoſitus, mortali ſimul & immortali, rationis & concupiſcentiæ pugnantibus inter ſe legibus ſubiectus: nunc infans, nunc garrulus iuvenis: nunc robuſtus vir, nunc enervatus ſenex: nunc lætus in proſperis, nunc dejectus in adverſis: nunc pacis in otio, nunc armorum in ſtudio, nunc amicus, nunc hoſtis proximis: nunc algens in frigore, nunc æſtuans in calore: nunc mundi opum indigens, nunc iiſdem copioſè affluens: nunc firmus valenſque viribus, nunc morbo imbecillus: nunc vivus in ſolio, nunc mortuus in ſepulchro. Hæccine univerſa tu neges ſingulari Dei lege, ac deſtinatione ſuſ-

que deque ferri ac mutari ? Ipse dies suam habet noctem, ipse Deus suum in Diabolo adversante hostem, ipsa beatorum æterna felicitas, profundissimam extremæ infelicitatis sibi contrariam abyssum: & tu mireris si Deus te velit pauperem, ac divitem alium: te in fame, & alium in luxu: te in lacerna, & alterum in purpura? Si ad illustrandam immortalem animam Deus illi mortale opposuit composuitque corpus; infantia extollit juventutẽ, bello commendat pacẽ, morbo sanitatis auget pretium, tenebris solem facit gratissimum, Diaboli malitiâ, Dei bonitatem, æternis summisque damnatorum pœnis, beatorum illustrat in cælo præmia; erit profectò quo & tuam ille paupertatem non minus illustrare noverit, vel in hac vita, cùm Apostolis, quibus omnia deserentibus nihil unquam defuit: vel altera cum Lazaro, qui, divite lautius epulante, esuriens, hoc afflicto est recreatus. Epuloni hæc vicissitudo rerum objecta est, *recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris* q Quando hæc rerum alternatio divinæ providentiæ sapientissimè placuit, quis non malit Lazari, quàm Divitis hac

q *Luc.*16.25.

hac in vitam sortem experiri?

Verùm, inquis, sustinerem æquo animo miseram hanc sortem, nisi alienâ iniuriâ malitiaque ad hanc deturbatus recidissem. hæc sanè Deo placere non poterit, huic iustam offensionem reservo. Felix essem nisi aliorum malignitate iacerem. Sed neque hæc te querela decet. Cùm enim Deo facillimum fuerit, hanc à te propulsare iniuriam, neque id prudens volensque fecerit, manifestum est, voluisse hæc à te sustineri: quod si obsequens præstes, tuo illud, majorique etiam merito atque emolumento futurum est; quàm si Deus ipse has opes sustulisset. cùm & fratri didiceris ignoscere, & Deo parere. Iuvat hic pulcherrimam Origenis dissertationem audire. Nos, inquit r *dicimus ita omnia in hoc mundo esse disposita, ut nihil otiosum prorsus sit apud Deum, etiam si sit illud malum. Per eos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutis gloriam tendunt. nam si perimitur malitia non esset utique qui contrairet virtutibus. Virtus autem, si nihil haberet contrarium, non splenderet, nec fieret examinatior: non probata autem, nec examinata virtus, virtus non est. Tolle malitiam fratrum Ioseph. tolle invidiam,*

r In lib. Num.

vidiam, quâ sævierunt in fratrem: si hæc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dei. auferes cuncta illa, quæ Ioseph fecit in Ægypto, in procuratorum salute. Non enim fuisset interpretatio illa somnii Pharaonis: nemo frumenta congregasset in Ægypto, nemo necessitatem famis sapienti provisione curasset, perijsset Ægyptus, perijssent & finitima regiones fame; interijsset etiam ipse Israel. & semen ejus quærens panem. Quare non est, cur quicquam homini imputes, si quid, aut injuriarum, aut emolumenti in tuis acceptisti opibus hæ non minus, quàm suo oceanus æstu, nunc affluunt, nunc refluunt, occulta divini Numinis providentia, has usque ad obulum dispensante.

Illustre hujus tibi providentiæ supremæ, nunc dantis nunc eripentis bona, & Iob olim, & sub Traiano Imperatore Eustachius, & recentiori etiam historiâ Emmanuel Sosa Lusitanus esse poterit. Priora, ut magis cognita transeo, Sosæ ex Maffæo s strictim fortunam prosequar, Hic diu versatus apud Indos, multisque divitijs locuples, rostrata navi opibus impleta, alijsque minoribus ex Cocino, an. 1553. patriam adibat, uxore, liberis nobilitate, famulitio, mancipiorumque

s *lib. 16 histor. Indic.*

que sequente turba, capitibus universe sexcentis. His provectus, adspirante vento ad bonæ spei promontorium, adversis cœpit agitari fluctibus, atque intumescente adeò jactari oceano, ut neque ad reditum, neque ad progressum via ratioque se pãderet. Discissa vela, fracta malus, excussum majoris navis gubernaculum, ac denique post longam jactationem apparens littus, in quod certo naufragio illidendi videbantur, spem salutis ademerant. Iactis tamen repente anchoris major navis hæsit, dum per minora navigia ægre Sosa cum uxore Eleonora liberis, & primarijs aliquot rapto, quem poterant thesauro, ingenti discrimine ad littus evasere. Mox tanta aquarum moles in naves incubuit, ut cum illæ dissolutæ fluerent, plerosque mare hauserit, nonnulli raptis doliolis, fragmentisque enatarint, jam prope ex iactatione semineces. Hi post aliquot dierum quietem, navigiis iam amissis, coacti inter barbaras gentes terra iter capescere, varias calamitates pertulere, ad obscœnos sæpe cibos necessitate coacti. Hiemis etiam adversitate pressi, ad flumen, cui à Spiritu S. Marchesius nomen dederat, pervenêre. Quando in extrema illic necessitate à Regulo loci subsidium orantes, blan-

da

da pollicitatione opis eò adducti sunt, ut armis velut ad custodiam depositis, illi se crederent, iam ex toto numero non nisi centum quinquaginta superstites. Verùm distributos per hospitia, omnibusque hic rebus per vim exutos dimiserunt, solâ veste ad tegendam nuditatem reliqua. Nec malorum hic finis, eiectos orbe nova repentè Æthiopum manus circumstetit, ac manipulum Sosæ iunctum invadit, illumque cum uxore, liberis asseclisque etiam veste nudant, conjuge muliebri robore ac verecundia ad extremas vires repugnante. Sed cum victa demum succumberet, pudore ac dolore plena, defodit è vestigio arenis sese, superiora corporis soluto crine obumbrans, ac dein suis, tanquam è sepulchro valedicens. ite, ait, vobisque consulite, ac siquam patriis olim reddi finibus contigerit, renuntiate, quo loci mea me maritumque peccata perduxerint. Sosam adhæc sine voce attonitum stupor mærorque fixerant, ad liberorum juxta positorum cõspectum utrisque solum manabant lacrymæ. In silvam tamen pabulandi gratia egressus Sosa, cum semel iterumque excurrisset, reversus denique, & uxorem, fame ac mærore consumptos reperit, quibus terræ mandatis lamentabili circum

cum voce plorantes ancillas reliquit, seque iterum in silvas abdens, nunquam deinde comparuit. Nonnulli ex his in servitutem abstracti, & à naviculario Lusitano redempti, opum tam infeliciter quæsitarum testes fuêre.

Pondus & statera iudicia Domini [t]. Momenta fortunæ cujuslibet solus ponderat & expendit Deus: cui, ut factori, suæ incumbit creaturæ per hæc media conservatio. Solus illæ est supremus paterfamilias, qui talenta in servos disperditur. Hæc nosse, & acceptare ex arbitratu largientis Dei, est parvis etiam in opibus contentum vivere ac divitem esse.

CAPUT II.

Inter triplicem fortunæ præsentis statum, felicissimus ille est, qui in mediocritate opum consistit.

Cum triplicem Deus hominum, quoad opes, statum esse voluerit, duorum in extremo, hinc inopum, inde divitum aliorum in medio qui neque egerent, neque abundarent stationem fixerit: non erit abs re, ad quorundam hominũ errores, atq; immoderata studia inter recti bonique limites restriu-

t. *Prov*, 16; *n*.

ſtringenda, expendere, quis ſtatus illorum ſit feliciſſimus. Cum enim per opes nil niſi ſola ſpectetur humana felicitas, quantò hæc futura eſt potior, tantò opum poſſeſſor iure erit etiam exiſtimandus ditior. Non hic agam de voluntaria religioſorum hominum paupertate, ut illam cum ſecularium opulentia conferam; ſed ea ſolùm, quæ in civili agreſtique mortalium vita divinæ tantùm providentiæ legibus, non humano arbitrio libratur.

Atque, ut imprimis de illorum agam hominum felicitate, qui in omni opum vivunt affluentia, & qualis quantaque hæc ſit cum mediocri fortuna collata expendam, ſine magno verborum rationumque circuitu, ſtatuo, abundantium hominum ſortem longè eſſe infeliciorem illis, qui ſolis ad vitam neceſſariis inſtructi ſunt. Illius me non puderet ſententiæ, quamvis alium ſuffragatorem haberem nullum, præter Salomonem, ex divinæ ſapientiæ arcanis, hanc orationem depromentem, quam alibi propoſitam decies cupio repetitam; *divitias & paupertatē ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria* a Si hoc poſtulatum Sapientis viri eſt, ſi à Deo profectum, ſi ab homine felicita-

a Prov. 30, 8.

de omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me? Quid factum? *Cum audisset adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Hæc sola causa plurimos cœlo inferendos excludit. qui si cum Petro ceterisque Christum secutis tenuibus essent opibus instructi, haud ægrè vocanti Deo obsequerentur: nunc verò quando ad has angustias recidunt, ut vel Deus, vel opes deserendæ sunt (*neque enim Deo simul possunt servire & Mammonæ*) conscientiæ, virtuti, cœlo, Deoque, quàm amplis possessionibus, obnuntiare malunt. Audi obsecro, quisquis divitiis inhias, audi quàm tristem gravemque Christus æterna veritas, ob hanc tam in ceteris omnibus probati adolescentis discessionem, sententiam adiecerit. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum.* Ne te fallere, neque dubia loqui, cum tanta asseveratione, videatur iteratam dictorum affirmationem subjungit, horrendoque iudicio divites ab angusta cœli porta excludit. *Iterum dico vobis facilius est camelū per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum,* Paveant & contremiscant iure ad sen-

H tentiam

c *Mat.19*

tentiam adeò tristem divites, quando tam rara res est, omnium divinarum scripturarum testimonio, abundantem terrenis possessionibus salvari; ut Ecclesiasticus in hujus veritatis contemplatione defixus, tanquam orbis aliquod miraculum divitem intuitus sit, qui Deum inter opes non deseruit: *beatus*, inquit ille, d *dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris, quis est hic, & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua.* Res omnino est admiratione digna, hominem divitiis circumfluere: neque illarum cupiditate teneri. Nisi enim hac quisquam insanè occupetur, quid est, cur pauperem ex illis Christum suis in membris non pascat? nudum non vestiat? hospitem non suscipiat? cur ad cultum pietatis non impendit, quod superest propriæ necessitati? hoc Deus exigit, ratio docet, charitas etiam Christiana postulat. Cum igitur superfluas otiosasque apud se divitias, citra hoc pietatis officium possidet, manifestum est Mammonæ illum potius, quàm Deo servire, vinctumque suæ cupiditatis detineri mancipium, nec verè censeri divitem, qui opibus neque ad suum, neque ad proxi- mi

d *Eccle.* 31:8.

mi emolumentum uti didicit. *Ille*, ait D. Amb. *dives in Ecclesia, qui pauperi, non sibi dives est. Non census divitem, sed animus facit: cupiditatibus omnis divitiarum abundantia, inopia est.* e Heu, quot illa cupiditate decepti, simul opum suorum laudabilem hic fructum, simul regni cœlestis gloriam amiserunt! *Decepit* ait D. Cyprianus f *multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt: quos facultates suæ velut compedes ligaverunt: illa fuerũt remanẽtibus vincula, illa catena quibus & virtus tradita est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa; ut serpenti terrã, secundum Dei sententiam, devoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærent.* Ite igitur, & divites felices pronuntiate, qui cum terram cupide possident, cœlum amittunt; ut vel profusis, quibus abundant, in Christi honorem opibus, ad mediocrium hominum conditionem redeundum sit; vel æternæ felicitatis thesauro carendum. Longè itaque horum sors melior, qui facultatibus copiosis destituti, hoc obtinent quod humanæ sufficit necessitati. cum tantis minimè objecti periculis, curarum vacui, ac futuræ

e *hom.*65. f *De lapsis.*

turæ securiores vitæ, neque ad largiendum teneantur, neque ad custodiendum. quorum utriumque difficile est multa possidenti.

Lugubris tragœdiæ divitum meminisse lubet, quo tempore Elisabethæ in Anglia regnantis, anno salutis 1596 Londinum inhorruit g Erat illic ex Reginæ consiliariis Baro de Hounsden morbo, qui lethalis homini fuit lecto affixus. cum gravius omni morbo ac morte, per noctem ipsi spectaculum objectum est, opulentorum aliquot, eidem quondam aulæ addictorum, hominum. Primus Regalis consilii, Anglicanus senator, Rubertus Dudlæus Comes Lecestriæ fuit, horribili flammarum amictu circumdatus: successit alter, ignovomo quoque in habitu terrificus, Franciscus Walhingamus, secretarii quondam perfunctus munere. Tertius diversa in specie, sed squalida, horrentique tremebundus prodiit, Pouckerinus Lord, supremus Angliæ Iudex, tantoperfusus algore, ut illius leviter prestrictus æger manu, ex concepto se frigore crederet exanimandum. Neque his completa

g *Pædagog. Christ. Gallicus edit. ult. p* 1 *c.8.* §. 8. & *P. Engelgrave in luce Ev. P.* 2. *dom.3, adv.* §. 1.

pleta scena est, accessit eodem quartus Hattonus, regni quondam Cancellarius, sociosque post se traxit geminos, qui à consiliis aulæ fuerant, primum, Thomam Heddinge, alterum Franciscum Knoul, omnes flammam quaquaversum atrocissimam spirantes, horrificaque lamentatione conclave decumbentis implentes. Quid exspectas ex tam funesto consortio? Misero Baroni vox, animusque inexplicabili horrore confusus, stupuit: illi denique, ubi ferali & tartarea hac imagine oculos mentemque trepidantis explevissent, sic affati sunt. Age infelix, atque ad eundem te præpara exitum habitumque, propediem apud nos tam lamentabile fatum exspectes, eadem quoque Gulielmo Cæcilio thesaurario ex nobis denunties: brevi & illum inferorum barathrum hauriet. Quibus minaci voce, vultuque denuntiatis, scena hæc evanuit. Baronemque tam infausto nuntio turbatissimum reliquit. Exposuit is triste visum amicis invisentibus, ac nequicquam solantibus erigentibusque ad figendam in Deo fiduciam, nec multò post, & ipse, & Cæcilius vitâ functus, non inane phantasma delirantis fuisse animi nimium infelici eventu probarunt. Non vana denuntiatione tam abominandi exitus nos

rarum h Sola igitur natura ad auri argentique contemptum nos instruxit, ac soli ista necessitati, non cupiditati voluit inservire. Eloquentissimus more suo, hac tamen præsertim in re orator fuit Chrysostomus *Percontemur*, inquit i *ab hominibus, cur expetenda videantur esse divitiæ? respondebunt sine dubio, propter vitæ voluptatem & corporis delicias; tum deinde propter honorem, & propter officia, quæ ab hominibus divitiarum causa conferuntur, & quia dives facilè ulcisci illos potest, qui iniuriam inferre tentaverint, & timori esse ceteris. Existimo quod alias, exceptis his, causas non habeant voluptatis, dico, honoris, officiorum, timoris & ultionis: nam neque sapientiorem, neque temperantiorem, neque prudentiorem, neque clementiorem divitiæ unquam facere possunt: non denique sanctiorem. nusquam enim aliquando iracundum, & implacidum in mansuetum commutarunt, neque incontinentem continentiam docuerunt, nec voluptuosum sobrietatem, nec inverecundum verecundiam, nec aliud virtutis genus.* Pergit deinde orator idem, docetque, ad immoderata convivia, & voluptates malè impendi opes, cum

h *Seneca Epist* 59. i *tom.* 5. *ser. Nemo læditur, nisi à seipso.*

cum sanitatem corporis mentisque bona longè præstantiora hominis destruant. Quare cum opulentæ Divitis mensæ, ad luxum crapulamque instructæ, frugalem in cibo pôtuque mensam componeret: *nunquid*, ait in *his conviviis maior voluptas, an in illis ubi cibus potusque tantus famem depellat, ac sitim? Hunc vitæ modum natura docuit, illum verò libidinis corruptela: in hoc denique sanitas, adest, ratio permanet & honestas cum sobrietate perdurat: nec gravatum corpus, aut oppressum de mensa levatur; sed potius adiutum, & viribus auctum, & alacritate subnixum surgit incolume. Vtrorumque igitur corpora, & animos considera, & invenies illa robusta magis, & valida, ac succi plena, quæ mediocribus ac simplicibus utuntur alimoniis: hi verò, qui in deliciis vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera circumferunt molliora, & agmine quodam infirmitatum repleta, quibusque ad cumulum malorum & podagra tremor, & immatura senectus accedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis, sensus autem iisi tardi, graves, obtusi & quodam modo sepulti.* Postremò ipsam etiam voluptatem, cibo potuque affluenti quæsitam, in divitum amitti mensis, in pauperum reperiri

riri victu tradit. *Cum* inquit, *per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter voluptas & iucunditas perimitur: quia non tam ciborum gratia, quàm desiderii satisfactio gignit voluptatem. Ideo Propheta mirabilia enarrans, quæ in Ægypto quæque in eremo gesta sunt.* de petra, *inquit*, melle saturavit eos. k *Equidem nusquam invenimus mel fluxisse de saxo sed hoc ipso quod dulcissimè & desiderabiliter potandi cupiditas explebatur, aquas illas mel appellavit: non quod natura aquarum fuerit commutata, sed quòd dulcedo poculi, instar mellis sitientibus & desiderantibus obtineret dulcorem. Ergo simplicior victus, & mensa mediocris plurimum iucunditatis & voluptatis habet. è contra verò divitum mensæ execrabiles, morborum plenæ, & sicut ait quidam prudentium, in quibus molesta sunt etiam ea, quæ delectabilia videntur:*

Idem porrò Ecclesiastes noster disertissimus, ad cetera opum præsidia convellenda his verbis progreditur. *Sed honores, inquiunt, conferunt divitiæ & in inimicos facilius ultionem præstant. An ob hoc videbitur esse necessarium opus divitiarum, quia vitiis ministrant & iræ tribuunt effectum, atque*

k *Psal.* 80:7.

inanes ambitionum bullas inflant amplius. & extollunt maius? quodque superbiæ malum exigunt tumidius? imò potius pro his maximè erant divitiæ fugiendæ. Hoc enim est feras bestias in animis suis homines collocare, & nutrire in pectore. Et iterum divitiæ suadent ut honore quidem vero cælestique careatur, falsum verò, hunc veri illius colore solum, & simulata imagine fucatum requiri honorem non veritate, sed nomine. Nam si conscientias interroges acclamantium tibi, invenies apud vnumquemque eorum, mille te capitibus accusari. Denique ubi metus cessaverit potestatis & publica pompæ fuerit scena resoluta, tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes. Si vis ostendam tibi honorem verum. Honor virtus animi est. hic honor, neque à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur: nihil in se fucati habet, nihil simulati, nihil occulti. Huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus. Honor hîc temporibus non mutatur neque patitur tyrannos, nec picturam tabula metuit aliquando delendam. Sed vindictam, inquis, inimicorum aliter sumere non possum. Hæc verò maximè causa, propter quam execrandæ sunt divitiæ, & amanda paupertas.

Istum

Istum enim gladium, quem dicis, acuunt adversum te: retribuam &c l Nemo iudex in causa propria, neque largitionibus subnitendum est, ubi ex æquitate res est decernenda. Qui alia incedit via ad perniciem reip natus est. Hæc opum cupiditas, tot gentes bello implicat, tot regna evertit, tot enervat respublicas: dum, ut quisque Principum Regumque polleat opibus, subditos tributis exhaurit, proxima invadit atque exscindit regna. Hæc Inter vnius reip. membra, tot dolos fraudesque inter homines: tot in mercibus corruptelas, in negotiis imposturas, in occulto insidias, in aperto rapinas instruit: ut nihil tam fidum sanctumque inter homines sit, quod habendi tam dira cupido violare non audeat. Cui aliud remedium præsentius non est, nisi & opibus, & cupiditate ad quandam mediocritatem redacta. Qui enim aliud non desiderat, quàm quod necesse est, hunc solum satiari, potirique voto suo posse compertum est. Hic igitur longè quovis divite suis in possessionibus felicior est habendus.

Nunc verò, si præterea ostendero, infeliciorem multò etiam statum divitum, quàm pauperum censeri, planè amens homo

l *Rom.* 12: 19.

mo sit, qui divitiis abundare malit, quam in mediocritate acquiescere. Divitiæ quidem & paupertas à Domino sunt, cum alios abundare, egere alios, etiam citra culpam ipsorum voluerit ut sapiens disertè moneat, *qui despicit pauperem, probro afficit factorem ejus* m nam, *dives & pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus* n Est quidem hæc pauperis in mundo infelicitas, quam, *de vilitate conditionis humanæ*, deplorat Innocentius. *Si petit*, inquit, *pudore confunditur; si non petit, egestate consumitur: & ut mendicet necessitate compellitur. Deus causatur iniquus, quòd non rectè dividat: proximus criminatur malignus, quod non plenè subveniat, indignatur, murmurat, imprecatur Vnde Salomō melius est mori, quàm indigere.* Verū hic flagitiosus pauper describitur: qualem inter decē vix unū reperias Senecæ in Thyeste versus est:

Humi iacentem scelera non intrant casam.

Et Petronii

Quisquis inops peccat, minor est reus.

Est fateor illa multorum pauperum calamitas, quam Sapiens in Proverbiis observat, *etiam proximo suo, pauper odiosus erit* o & quod

m *Prov.* 20. n *Prov.* 22:2. o *Prov.* 14.

quod miserandum amplius est, *fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo* p Hanc tamen afflictionem Deus singulari suo patrocinio supplet, quoniam *illi derelictus est pauper* q ideoque per Sapientem Deus præcipit: *non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius* r Hoc magnum pauperi in omni adversitate solatium, habere Deum amicum, & protectorem, *quia factus est fortitudo pauperi in tribulatione sua* s deinde tam misericordem æquumque esse Dominum, qui raro ibis affligat, in hac & in altera vita nisi fortè insignitè improbos, qui neque plagis corrigi, neque beneficiis deliniri queant. Vnde Iacobus Apostolus hac tanquam compertissima veritate nixus interrogat: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* t

Pauper facilius huius mundi felicitatem assequi poterit, ac verè dives haberi, quam qui abundat divitiis. nam ut zonaras u *Romani paupertatem non in parum habendo, sed*

p *Ib.* 19. q *Psal.* 9. r *Prov.* 22: 22. s *Isa.* 25. t *Iacob.* 2. u *Annal.tom.*2.

sed in multum concupiscendo positam esse crediderunt. Et rectè qui enim sibi deesse sentit plurima, ad quorum possessionem anhelat & quòd desint cruciatur, quòd non assequatur: āgitur hic verè rerum maximarum egēs, ideoque pauper censeri debet: at qui tenuissimis etiam domi rebus gaudet, mendicatoque indies, quo fruatur, colligit; si sua acquiescat sorte, si alienis & longè positis non inhiet, is certè præ illo dives est putandus. scitè eleganterque D. Gregorius x *Paupertas inopia mentis est, non in quantitate possessionis: nam cui cum paupertate bene convenit, dives est.* Cui gentilis homo Seneca assentitur: *non est*, inquit *in paupertate vitiū, sed in paupere. Pauper es, qui pauper tibi videris. Nihil deest avibus, pecora in diem vivunt: feris in alimentis solitudo sufficit* y Hac lege si possent mortales vivere, illudque observare Christi monitum *ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: Quærite primùm regnū Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*; nemo indigeret; quia Deus sua neminem promissione falleret. Imo felix inprimis pauper censendus esset sua inopia: *Paupertas* enim teste Chrysostomo, *est manuductrix quadam*

x In *Ezech.c.6.* y *De remed. fort.*

dam in via, quæ ad cælum ducit, unctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem ſponte diligit.

At hoc paupertatis eſſe dices in commodum, quod erga Deum pauperesq; liberalis eſſe nequeat. Non abnuo hoc opere ipſo ſæpe non poſſe, quin tamen effectu ſemper benevolo queant ſubvenire, non eſt negandum. Erit etiam cum volentibus operis ſeſe opportunitas non ſubtrahet: ſi ad res exiles tenueſq; in miſerorum ſolatium manus extendent. *Operantibus*, ait S Leo, *quæ bona ſunt, non omnino metuendum, ne eis deſit facultas operandi cum & in duobus minutis evangelica illius viduæ ſit laudata devotio; & pro calice aquæ frigidæ præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis menſura taxatur, & numquam eum miſerandi efficacia deſerit, in quo miſericordia ipſa non deficit.* c

Jam verò ſi paupertatis conſtans vultus, & ad nullam fortunam trepidus, nulla ſollicitudine exæſtuans, nullo expalleſcens caſu, nulla erubeſcens injuria, cum illa fluctantis Mammonæ inconſtantia, ac meticuloſa, ſemperq; anxia divitum inquietudine componatur, quanto illius ſors eſt

c *S. Leo Pap. ſerm. 4.*

melior?

melior! *Dives*, ait Iacobus, d *sicut flos fœni transibit; exortus enim sol cum ardore, & arefecit fœnum & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperijt: ita & dives in itineribus suis marcescet.* Cur obsecro magis diviti hunc interitũ minatur, quàm pauperi, cùm uterq; homo sit & corruptioni obnoxius, juxta illud Isaiæ, e *omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quasi flos fœni.* respondet Augustinus. f *isti florent felicitate seculi. & pereunt in virtute Dei: non enim quomodo florent, sic pereunt: florent enim ad tempus, & pereunt in æternum: florent falsis bonis, & pereunt veris tormentis.* Contra pauperes felicitatis prę̃setis flore destituti, squalent in opibus, & florent in virtute, flos æternus, squalor est tęmporaneus: squalent in bonis factis, verisq́sempiternisq; efflorescunt. An non credes Sapienti, cum illorum tibi orationẽ recitat, qui post mortem hanc opũ vanitatem experti testantur. *Talia*, inquit, g *dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt illa omnia, tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam &c.* Nuntio prætereunti similes nos inter hæc mundi bona

versari

d *Iac.* 1. 10 e *Isa.* 40:6. f *in Psal.* 53. g *Sap.* 5. 9

versari rectè expendit S. Basilius h *Omnes, inquit, in via sumus, transibunt omnia, post tergum relinquentur omnia. Vidisti de via plantas, & herbas, & aquas, aut aliud quid-vis non indignum spectatu. Nonnihil hic oblectationis decerpsisti, deinde illa præteriisti. Rursus in lapides incidisti, in convalles, in præcipitia, scopulos, aut fortè in feras incurristi, reptilia, spinas & alia permolesta; hinc nonnihil contraxisti mœroris, sed mox ista reliquisti. Talis est vita nostra, quæ nec delectabilia, nec rursus acerba & tristia retinet diu.* D. Chrysostomus i res nostras flumini præterfluenti cum Sapiente comparat. *Res,* ait, *subitò inclinans, & omnigenis casibus, quàm maximè obnoxia hominum natura est: ad senectam iuventus festinat, dilabitur gratia in deformitatem, ad imbecillitatem robur decrescit, sanitas deficit in languorem, in contemptum gloria, divitiæ in penuriam. Præcipiti flumini, nec usquam consistenti, sed ad propria continuò & per omnia ruenti, nostra similia sunt.* D. Ambrosius in Isaiæ hæc verba commentans, *Erubesce Sidon, ait mare* k humanam cupiditatem ab ipso mari perstringi,

h *In psal.* 1. i *Hom.* 30. *in* 1. *Cor.* k *Isa.* 23. *n.* 4.

ſtringi, ingenioſa diſſertatione oſtendit, confunditq; per muta elementa hominem. *Erubeſce*, inquit, f *Sidon, hæc eſt, meos fluctus negotiator arguit, cum ſit ipſe fluctibus inquietior. Erubeſce, vel pudore, qui periculo non moveris. Verecundiores venti ſunt, quam veſtra cupiditates. illi habent otia ſua, numquam veſtra quærendi ſtudia feriantur. Et cum otioſa tempeſtas eſt, numquam veſtra otioſa ſunt navigia.* Quid? quod inconſtantior tua ſit fortuna (juvat enim orationem proſequi) quàm unda oceani, hæc nonnullos tantùm fallat, illa quamplurimos: hæc pleroſq; in portum quietemq;, poſt jactationem, & nauſeam, deponat: illa omnes ſuo deniq; in portu naufraga deſtituat. Erubeſce igitur homo Sidonis, qui maris accuſas inconſtantiam, & tam infidam opum non damnas fortunam. An non illa maris ad Sidonem oratio, meritò confundat infelices divites, & paupertatis amorem ſubjiciat? Certè is præ ceteris felicior mortalibus eſt, qui à tam inquieta, atque infida opum poſſeſſione ſemotus eſt. Erubeſce iterum, mi Chriſtiane ad Ethnici Philoſophi Sapientiam, qui hanc in profana vita veritatem profitetur. *Ne* inquit Seneca, a *imparatos*

f *De Elia & Iejun.* a *Epiſt.* 15.

paratos fortuna non deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si experti fuerimus, quàm non sit grave pauperes esse. Ad paupertatem sua sponte descendere, est praeoccupare tela fortunae. Et alibi b amicum hortatur, *redige te ad parva, ex quibus cadere non possis. Inest paupertati sine qua nihil est jucundum, securitas.* Quidquid eripi tibi poterit, hoc tuum frustra animum sollicitat: nihil enim nostrum est propriè, nisi quo fruimur: quodque præsenti sufficit necessitati, extraque fortunæ aleam fruendo collocatur. Cetera omnia solo dominij titulo, nostraque tantum imaginatione possidentur, quâ submotâ nihil esse verè nostrum deprehendemus: cum, quod alius casus non aufert, mors omnino tollit.

Quare divites ego universos nihilò esse feliciores censeo Thrasyllo Azonensi, quē Ælianus c memorat illo aberrantis phantasiæ errore delusum, ut quotquot in Piræeum naves appellerent, & quotquot inde solverent, suas existimaret merces vehere, ideoque summa illas voluptate excipere ac dimittere solitus, fausta eis omnia sibique precabatur. Verùm Crito frater e Sicilia redux, miseratus insaniam hominis, Medico tradidis

b *Id. Epist.* II. c *Lib.* 4. *var. hist.*

tradidit curandum, obtinuitque, ut ad mentem rediret. Quâ restitutâ, licet suam rideret stultitiam, negavit tamen unquam se vixisse suavius, quam cum illo errore mentis teneretur. Par divitum amentia est. ex solius illa imaginationis corruptione nascitur, dulcis illa quidem, sed tamen insana. suum esse dicunt, quod Deus mille casibus objectum, divina tantum in manu certum possident, quod flammæ, quod bella, quod fures, quod fortuna quævis adversa, quod mors omni momento potest eripere. Felicior ille, quem res domi tenues tot periculis non obijciunt. Repeto cum seneca. *Redige te ad pauca ex quibus cadere non possis. Inest paupertati securitas*: Non illi, quæ nihil possidet, sed quæ mediocritatis inter valla, divitum periculis, inopum caret molestiâ.

CAPVT III.

De necessitate, tam illiberalium quam liberalium in rep. artium, earumque electione, & usu ad cuilibet parandas divitias opportuno.

PLato veteris Philosophiæ magnum decus, in libro de repub. a & in Sophista, liberalium atque illiberalium artium necessitatem

a *lib* 10. *reip.*

ſitatem ab humana deducit indigentia. Namque Epimetheum refert, poſtquam ex Promethei conſilio, hinc bruta quævis animantia; inde rationalem finxiſſet hominem: illis contra frigus, neceſſitatemq; abundè munitis, hunc nudum atque inermem reliquiſſe in medio; reliquorum quidem Dominum; ſed quo cervus velocior, Leo fortior, pavo ornatior, aliæque animantes in aliis naturæ dotibus potiores eſſent. Ergo Prometheum hiſce ait malis avertendis à Minerva quidem Sapientiam, à Vulcano ſuſtuliſſe ignem, omni penè artium exercitio neceſſaria, atq; hoc beneficium contuliſſe homini, ut quod natura deeſſet, suppleret arte. Quò factum, ut quamvis homo ceteris omnibus animantibus, vel indigentior, vel imbecillior ſit; vincat tamen, & opibus, & viribus univerſas.

Nullum certius ad parandas opes præſidium eſt arte. Adverſentur inimici, deſerant amici, fortuna repentino caſu deſtituat: omnium quandoq; inops, ſolâ arte ſatis dives futurus eſt. Nero imperator in omni propemodum theatrica verſatus diſciplina, cum â Mathematicis audiret, ſe aliquando deturbandum imperio, fiſus, quas tenebat, artibus, ſuam hanc infelicitatem his verbis

ſolatus

solatus est: *Terra quæ vis alit artem.* b Quare diversarum gentium legibus cautum olim fuit, ne qui in rep sine certa arte viverent. Amasis Rex Ægypti, si Herodoto c credimus, lege lata sanxit, ut quotannis provinciarum incolæ apud suos comparerent Præsides, de arte, ex qua viverent, rationem daturi. In qua si deficerent, morte erat expianda desidia. Par Athenis lex erat Draconis recepta, quam tamen, Plutarcho d teste, Solon ita moderatus est, ut siqui, parentum incuriâ, ad nullam essent instructi artem, hi lege alia antipilargiæ, ad parentes in senio alendos, non tenerentur. Apud Romanos quoque, jam cultu atq; numero auctiores, quisquis sine arte otiosus deprehenderetur, operi publico damnatus adstringebatur. Hinc M. Aurelius Imperator ad Pollionem scribit: *me puero nemini in publicum prodire licebat, nisi insigne secum portaret opificij, vel artis, quam factitabat, & quâ victum quæritabat. Quod si quis contra fecisse deprehensus esset non solum puerorum per vias insequentium clamoribus, ut fatuus incessebatur, sed è vestigio à censore condemnatus, cum alijs, ergastulis, operi publico faciundo, addicebatur.*

Nec

b *Sueton. in vita.* c *lib. 2. hist.* d *In Solone.*

Nec minus severam Florentinorum in Hetruria hujus consuetudinis observationem fuisse, Sabellius *e* memorat, ut siquis repertus illic esset, qui quæstus artisq; unde viveret, rationem dare non posset, tanquam sceleris convictus, aut capite, aut exilio ignaviam lueret. Neque hodiedum in optimè cultis nationibus hæc animadversio negligitur. Sinarum regnum, ut Jarricus *f* aliiq; scriptores meminere, Europæ vix impar magnitudine, diversissimarum cultu artium, quâ liberalium, quâ illiberalium, florentissimum, nullum sine alicujus artis exercitio sustinet, ipsos cœcos, ad cetera inutiles, pistrino adstringit, nec quenquam nisi omni membrorum usu destitutum patitur otiari. Vnde omnium illic artium disciplina excellens, jamque olim, ante multa secula, artem fusilem bellicorum tormentorum, ac typographicam possiderunt, quæ hic posterioribus solum ætatibus Germanorum industria reperit.

Artium verò hac ætate tanta in orbe, & multitudo, & varietas est, quas vel humana necessitas, vel curiositas, vel etiam voluptas reperit: ut cujusq; adolescentis ingenio ac conditioni opportuna deesse vix possit. Prin-

e lib.6.c.1. f tom 2.hist. Sin.l.4.c.29.

Principio quidem multæ artes, præter agriculturam, eidemque servientes, vel ignoratæ, vel prorsus incultæ jacebant. Romanis ante expeditionem Persicam, ne quidem Pistores fuisse cognitos Plinius c observavit. cùm quisque domi far ex agris collectum, attereret, subactumq; in foco, aut furno cibis aptaret, mensaque omnium tenuis, in paucis cum pane fructibus, subsisteret. Verum luxu persico, simul cum devictis gentibus in urbem traducto, unius gulæ ventrisq; beneficio, quamplurimæ mox artes deservire cœperunt. Molitores inducti, Pistores & Cupediarij. Quorum illi agitatis ad ventum, aut aquarum lapsum, molis, minutissimum farris florem à siliquis deviderent, alij secretum, aut confusum pinserent: alij diversas ex polline cupedias, hoc est, placentas, similas, spiras, scriblitas, tortas, liba, artocreata, aliaque id genus scitamenta conficerent. Laniones deinde, piscatores, venatores, aucupes, coci, œconomi, promicondi, solis etiamnum requisiti edulijs sunt. Quibus si illos jungas qui poculis reliquoque mensarum apparatui serviunt, quantus erit artificum numerus solius mensæ obsequio hac ætate comparatus!

c lib. 18. c. 11.

paratus! zythi vinique potus antequam ori admoveatur, quod diversorum artificum industriam requirit! solis poculis conficiendis, nunc figuli: nunc vitri, aut stanni fusores; nunc tornatores, nunc aurifabri, adhibentur.

Quod si ad vestium deinde apparatum hoc ævo veniamus; his olim detracta animanti pellis, & sartor consuens sufficiebat: nunc, postquam ex lino, lana, serico, aureis, byssinisq; textis cœpta consui vestimenta, nullus modus finisque est artium. solius lini sator, attritor, purgator, & carminator, netrix, textor, latrix, tinctor, sartorq; poscitur. Vnius auri, ut ornando homini deservire possit, quot, & eruendi & conficiendi, & diversissimis officijs aptandi reperias artifices! quot illius comparandi gratia, terrâ marique negotiatores! Integræ orationis, ac voluminis res sit, per hæc omnia evagari velle, ut ostendam quibus artibus opes parandæ sint. Illiberales penè sine numero sunt, atque in diem novis inventionibus augentur, liberales notiores sunt, quàm ut mea expositione, ad delectum ex ijs cuique instituendum, indigeant. Singulari providentia Dei effectum est, ut aucto sensim hominum numero, augerentur, & artes, &

 negotiatio-

negotiatio, aliisque post alias patefactis regionibus, & varietate, & amplitudine crescerent; ne vnquam navo industrioque homini, ad necessarias opes comparandas deesset facultas. Quodcunque enim ex omnibus aggressus fueris, sedulitas requiretur, Ignavia mater inopiæ est, opum industria. Suas in quavis arte difficultates, suos defectus reperies: ut iure cum anxio adolescente quærere liceat.

Quod vitæ sectabor iter, si plena tumultu
Sunt fora, si curis domus anxia: si peregrinos
Sors incerta rapit: vexat labor improbus artes:
Mercantem, nunc lucra trahunt, nunc damna retardant?

In re tam ancipiti, & Deus, & parentes, sive amici, tum propria etiam naturæ inclinatio in consilium erunt adhibenda. Deus quidem ante omnia qui ut diversorum in hoc mundo statuum prudentissimus est institutor, ita & cujuslibet director hominis; ut electionis illa, quæ inter homines est, diversitate, quemlibet statum conservet, totique humano generi, ex mutua ope, & communicatione artium laborisque, consultum eat. Nam nisi quæque ars suos cultores

tores haberet, sensim illam interire, ac non leve societati hominum emergere hinc incommodum necesse sit. Dicam enim rem levissimam, tollas illius cultores artificii, & laboriosi satis, & parum lucrosi, quo acus in varium hominum usum, atque inprimis sartorum conficiuntur :, quanta repentè multarum rerum, & necessitas, & turbatio existeret! Molestum est fateor artificis opus, quando plusquam decies acicula etiam minima, & ponenda, & retractanda manibus; ut diversis subiecta instrumentis absoluti operis perfectionem assequatur; exile planè lucrum, quando uno sestertio centenæ etiam comparantur. Nondum tamen vidimus hoc artificium hactenus desertum. Latrinarum purgatores lictorumque famuli, quo obsecro in hominum numero censentur? quantilli spe lucri serviunt? an tamen unquam defecisse alicubi memorantur? His alijsque muneribus hominum abiectissimis ita provideri; ut non desint, qui pro necessitate administrent, non humanæ solertiæ, sed divinæ esse sapientiæ opus, manifestum est. Quare cum David meritò omnes fatemur, *in manibus tuis sortes meæ* a Et certè Deo, tanquam gubernatori universi orbis,

a *Psal.* 30:16.

ex officij sui ratione, singularis hæc cura incumbit; ne pars aliqua rerum creatarum, velut mutila & inutilis denique intercidat, & reliqua ex se pendentia in ruinam trahat. Stultissima itaque hic est mortalium industria, quæ se à divinæ ordinationis lege subtrahere nititur: non effugiet, neque alio eventu obluctabitur, quàm suo exitio Deus, tanquam supremus huius militiæ imperator suam cuique stationem tribuit: quæ aut tenenda est, aut malè luendum. Iosephum Deus Ægypti Dominum salvatoremque esse voluit, fratres eidem supplices accidere, patrem venerari. Huic fato muti in agro manipuli frugum, huic sol, & luna, stellæque de cœlo vindicem, prælu-serant, cùm per somnium objectæ pronis juvenem radijs adorarent. *b* Quid turbati, ad hoc spectaculum expositum, fratres non moliuntur, ut hanc illius sortem evertant? modò neci destinatus: modò præceps in foveam actus: modò in servitutem venditus, nihil ad Dei evertendam destinationem valuere universa. Ipsa fratrum nocumenta prodesse Iosepho, ad opes & honorem, voluit, & quâ viâ præcipitandum sunt rati,

b *Gen.* 37.

hâc ad apicem decretæ dignitatis aſcendit. Doleant, obſiſtant, indignentur: ipſi deniq; ad pedes Ioſephi abjecti, ſupplicesque jacent, & miſericordiam ab illo vitamque exſpectant, cujus exitium fuerant machinati, ejus cum lacrymis offenſionem deprecantur, cujus lacrymas deſpexerant, & deprecationem offenſi rejecerant. O mi homo, quàm inſanus es, ſi alterius tuam ſortem manibus fingendam credis, quàm qui te fecit finxitque hominem! *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* c Ad Deum itaque autorem, fortiſque formatorem tuæ, primum in ſtatus certi artisque ex quâ vivas, electionem recurre. ne dum præſenti tantùm felicitati proſpicis, negligas æternam. *Eſt enim via quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* d Nam illa plerumque mortalium ſubit animos cogitatio, cùm de ſtatu atque arte aliqua occupanda agitur, vnde lucri honorisque plurimum affulgeat: hanc ſtellam vulgus mortalium facillimè con-

 ſectatur:

c *Rom.9.* d *Prov,16.*

ectatur; sed hæc sæpe nõ ducit ad Christum plerumque etiam à divitijs abducit. *Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & sublevat: suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem* c Quod si multi ad hunc bonorum largitorem primo oculos curamque verterent, expenderentque quo in statu atque arte potissimùm suam operari salutem possent, Deique honorem prosequi: omnis illorum fortuna ex voto flueret: aut sicubi adversitate aliqua turbaretur, animum tranquillitatemq; non everteret. Felix ille est, qui ex divino suspensus nutu, illius arbitrium voluntatemque, tanquam æquissimam sortis suæ regulam amplectitur, nec improbat quæ Deo novit probari. Hæc enim sola vera est tranquillaque opum possessio, quâ non arca tantum, sed & cupiditas possidentis expletur: illi semper commensa, quod Deus, vel liberali, vel parca etiam manu fuerit elargitus. Divitis ista, in media paupertate, virr erat oratio, quâ sic Tobias pater filium ultima cohortatione solatus est: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Quo-

virca

c 1, Reg, 2.

circa necubi impingeret, aut in vitæ officiorumque suscipiendorum ratione laberetur, hoc monitum aureis exarandum literis, omniumque animis imprimendum, præmisit: *consilium semper à Sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in in ipso permaneant.* f Planè illud adolescenti agendum est, cum in quavis re graviori, tum potissimum, in certi status, aut artis officijve suscipiendi ratione, ex quo præcipua vitæ sors ac felicitas suspensa libratur, ut ad Deum & viros sapientes excurrat. Qui suo hic nimium judicio nititur, in plano etiam cespitat, & non raro jucunda præ utilibus amplexatur. Philippus Rex Alexandrum nonnunquam filium, musicæ illectum amore, scitius, modulata voce, concinentem audijt, & *non te pudet*, inquit, *quod scitè adeo noris canere.* g Non quemvis cuivis bene pedi aptaveris calceum. *Tractent fabrilia fabri.* Diogenes adolescenti cuidam amatorium in balneis lusum eleganter exhibenti, *quo melius*, inquit, *hoc deterius.* h artis illius improbitatem damnans.

f *Tob* 4.19. g *Plut.in Apopht.* h *Laert. l.5.*

nans. Quo in genere alearum chartarumq; pictarum lusus, tum circulatoriæ aliæque cum levitate conjunctæ artes, meritò censeantur: quarum, quò quisq; artifex melior hoc deterior est. Etiam in honestioribus artium studijs delectus abhibendus est, quæque ingenium magis excolunt, quàm mores reliquis sunt posthabendæ. Hinc Euclidis de mathematicis disciplinis institutionem aspernatus Diogenes, cum ingeniosa quidem, sed parum ad rectè vivendum utilia traderet: ipsiusq; Scholam. Græcis σχολιν, hoc est, otium dictam, præteritâ vnâ literâ, χολιν, id est bilem ac molestiam, nuncupavit: quòd plus molestiarum, quàm ad mores emolumenti in studijs complecteretur. Has igitur sequeris artes, quas honestatem cum utilitate, jucunditatem cum salute jungere compereris; quod à viris longa experientia doctis, tuæque salutis præcipuo autore Deo, si illorum te curæ tradiderit, potissimum assequeris. Nec existimes in splendidis semper officijs, ut plus dignitatis, sic commodi quoque ad vitam salutemque reperiri. *Fortuna vitrea est, quæ maximè splendet, facilè frangitur.* Magna in Principum aulis officia, nisi ad firmatos

jam

jam virtute ac prudentia viros transferantur, plus semper discriminis habent, quàm emolumenti. Qui Principis hic malit animum, quàm æquitatem offendere, leges quam munera observare, lucrum insigne potius, quàm Dei gratiam negligere, in periculo suæ dignitatis, quàm salutis versari: hic solum vir est magnis his dignus officijs: & hunc tamen quandoque videas præcipitari, bonis & honore exui, ex summis ad ima devolvi. Quare qui ad hæc aspirabit officia hanc ante sibi sortem præfigat animo: ne si labatur, impar fortunæ non satis præmeditatæ succumbat. Par ratio Doctorum est: non semper hi sibi sapiunt, quæque egregiâ rerum cognitione possident, illa pari facilitate ad salutem convertunt. Plus sæpe in his vanitatis, quàm scientiæ. S. Brunonem à cathedra Theologorum, ad abjecta religiosæ vitæ subsellia, à mundi gloria, ad solitudinis horrorem convertit, tristissimum illud Parisiensis Doctoris in funere spectaculum, quo ille, à morte propalam redivivus, justo Dei judicio, accusatum, judicatum, ac condemnatum se confessus est. Universitate tota stupore attonitâ, quod tantæ calamitatis in morte haberet

beret exemplum, quem in vita doctrinæ pietatisque existimatæ specimen habuisset. i Jam verò juris justitiæque administri & Doctores, quàm difficile est illud exequi, quod profitentur. ab omni procul stare injustitia, aspernari munera, legibus magis, quàm auro ac favore duci, inopum viduarumq; causis inprimis patrocinari. Horum itaque, ut sæpe status primâ fronte blanditur, quod illustri quodam apparatu oculos animumque teneat:non tamen, nisi consultò admodum, est occupandus.

Parentibus, aut tutoribus pupillorum hæc inprimis cura incumbit, ut re Deo commendata, puerorum mores indolemq; explorent, ne *invita* hos abstrahant *Minervâ*, ad illa, quibus vel ingenium impar vel inclinationem adferunt repugnantem, *Ex studiis*, ait Sapiens, *intelligitur puer, si munda & recta sunt opera eius.* k Videas jam tum pueros, alios delectari armis, quatere tympana, vibrare hastas, lacessere adversarium: alios libris capi, altaria exornare, ritibus Ecclesiæ observatis uti: hos tu præposterè militiæ; illos religioni aptabis: cum Deus & natura aliò avocare videntur.

Natura

i *Surius in vita S. Brun.* k *Prov.* 10.

Natura sequitur semina quisque sua.

Vbi tamen ad superbiam unitatemque mundi, ad ferociam, inconstantiam, aliaque jam tum vitia ferri, pleno impetu, videris, frenum inijciendum est, alioque, ad demissionis humanitatisque cultum, per idonea exercitia, sunt avocandi; ne dissimulatione, & indulgentia favere vitiis existimeris. Iulianus Apostata, jam adolescens, futuræ arrogantiæ & defectionis argumenta D. Basilio Gregorioque præbuit. Alcibiadem sua juvenem prodebat inconstantia, feroxque ac turbulentum ingenium *l* Caligula secuturæ tyrannidis dedit indicia, cum singulari voluptate reorum spectaret supplicia. *m* qui, quòd tempestivis remedijs ad meliora educati non sint, suæ alienæque calamitatis, ex neglectu Majorum, hausere principia. Exploranda itaque puerorum ingenia sunt, ut tam rectæ inclinationes foveantur, quàm perversæ opprimantur.

Si tamen ambigas, quibus potissimum artibus sint adhibendi: ætatis principia honestis literarum studijs conterenda erunt, dum maturioris ingenij sese igniculi exerant, & naturæ stimulis ratio adjungatur:

l *Plut. in vita* m *Suet. in vitas.* II.

quæ liberalium culturá artium magis enitescit, & cuivis etiam illiberali arti aptior, hâc viâ effingitur. Verùm siquem his destines adolescentem, rarò diutius inhærere illis studijs patiaris: ne eorum deinde captus otio, duriores in ceteris labores detrectet, nec tam spectet, quid sibi conveniens, quàm quid magis jucundum. Quem verò in studijs ad perfectionem educare constituis: non facilè citra necessitatem, ad frequentes Doctorum universitates ableges: quò, ut nationum omnium, sic vitiorum quoque veritas solet confluere. Miratur Gregorius Nazianzenus se cum D. Basilio studiorum collega, Athenis, in communi hoc malorum incendio, fuisse servatum. *n* Alter quoque Gregorius Thaumaturgus positos sibi Alexandriæ ab improbis laqueos, quibus Veneri captivum sisterent, expertus horruit *o* D. Benedictus verò, quòd salutem, præ discrimine, in tanta sceleratorum inter doctos colluvie, amaret, deserere studia, quàm probitatem maluit. *p* Par ferè in artibus illiberalibus ratio, quæ in magna juvenum frequentia catenam plerumque vitiorum

n *In hist. vita.* o *Item in vita.* p *Greg. l. 2. dial. vita. c. 1.*

vitiorum ducunt: cùm rarum sit in multis, depravatæ nullos indolis reperiri. Vnde sæpe malum in omnes vulgatur, & quod Poeta *in simili canit.*

Grex totus in agris.
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.

Demum cum jam certo quisque in officio, aut arte, pedem cœpit figere, in illa ad perfectionem contendendum est. quòd in quovis munere excellentes, etiam inferiorum artium homines, facilè & opes cumulent, & apud summos rerump. viros æstimentur. siquidem optimos quique pistores, fabros peritos, aurifabros elegantes, architectos celebres, mercatores æquos, honoratosque ceteris præferunt, & ut charos sæpe ac familiares complectuntur. Quod si tamen excellere non liceat, industriâ compensandum est, quod arte non assequeris. Neque inter minus secunda, de meliori sorte est desperandum; aut si nec illa effulgeat, linquendus animus. Satis erit, si extra culpam subsistas, cùm, ut in humano, sic in politico reip. corpore, alios pedum manuumque; alios pectoris, ac capitis munere fungi necesse sit. absurdumque non minus est omnes in rep. Principis, aut Consulum velle fungi,

munere, quàm pedes, aut ventrem in homine, capitis velle officium occupare. An verò iccirco venter vnquam murmurare compertus est, quod sibi viliora demandentur, aut queri pedes, quod ferendi totius onus corporis subire cogantur? Quæ si indignissima, omnium iudicio, querela futura sit, profectò non minus in politicis membris insanient, si ex ima plebe, suæ impatientes sortis, ad Consulum aut Judicum in rep. officia incipiant provolare. Diversis unus hic versus canitur.

Tu supplex ora, tu protege, tuque labora.
Primum Ecclesiasticis, alterum magistratibus tertium artificibus competit. Vt quisque suo in statu felix sit, Apostoli præcepto est obediendum: ***ambuletis vocatione, quâ vocati estis solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus spiritus. Eph. 4.***

CAPVT IV.

Commune malum humanæ felicitati infestum, & non modo vulgus hominum, sed & Principes, ad inopiam, atque ingloriam traducens vitam, otium est.

Quos sine labore non instruimus, ad divitias, hos nec sine labore posse ditari

tari existimamus. Paterfamilias ille supremus otiosos in foro suam ad vineã evocat, his etiam verbis castigatos: *quid hic statis in foro otiosi ? Ite & vos in vineam meam* q Hac conditione nati sumus, ut laboremus: nisi Iobus fallitur, dum inquit, *homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum* r Quod in avibus alæ, hoc in hominibus brachia manusque sunt. An non misera avis est, quæ alis ad celeritatem, aut volatum uti nequit, vinculis aut visco illigata ? tales, crede, homines sunt, *qui manus habent, & non palpabunt, pedes & non ambulabunt*: statuis magis æreis, quàm vivis hominibus similes. Qui paupertatem sibi ingratam suo volet arcere tecto, otium excludat, cum quo ipsi perantiqua familiaritas est & indivisa societas. Desidia mater inopiæ est; industria noverca paupertatis.

Principiò natura hominem, non ad otium, sed laborem instruit: & recepto Philosophorum axiomate tenemus, *nihil esse, nisi propter suam operationem*. Primam hominis originem, si exploremus, tulit Dominus Deus hominem, & *posuit eum in paradiso voluptatis; ut operaretur, & custodiret illum* s Mira res, in paradiso voluptatis in

q Mat. 20. r Iob. 5. s Gen. 2.8

in nulla rerum indigentia, abundantia omnium, summo cum imperio hominis, & reliquarum creaturarum obsequio, altissima in pace, & quiete, sine fame sitique, sine cupiditatis tyrannide, sine metu paupertatis, Deus Adamum in amœnissimo terrarum loco collocat, & tamen vult in illo operari; nec hortum, nisi cultum, sua parturire germina, fructus parere. Quare etiam, citra peccatum hominis, labor tamen fuisset à Deo imperandus mortalibus, proscribendum otium, quò necessariis quisque ad vitam opibus potiretur: ut mirum sit, inveniri etiam post universale maledictum terræ, ac pœnam hanc laboris impositum homini, *in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ* t qui inter desidiosa otia sibi nihil ad vitam defuturum sperent, Sapientis præmonitio est, *qui sectatur otium, replebitur egestate* u Deus mutæ brutæque creaturæ nihil operanti interminatur exitiū, & homo speret, quicquam se absque laboribus obtinere posse? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur* x labor arboris est fronde, flore, fructu germinare; si neglexerit, excidium paratum est. de arbore fici, quæ fructum expecta-

t *Gen.3:17.* u *Prov.28:19.* x *Mat.7:19*

ſpectatum non dederat, agricolæ mandatum eſt: *ſuccide illam; ut quid enim terram occupat?* y

Mandatum eſt, quo univerſa Dei creatura obſtringitur: *tuum fac fructum; labora.* Vnde ad nimia etiam animalcula nos Sapiens deducit, ut eorum exemplo inſtruat ad laborem. *Vade*, ait, *ad formicam, ò piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* z Iucundum ſpectaculum eſt, videre ex eodem tumulo longa excurſione ſparſas per agrum formicas, & reperta in cellas ſubterraneas convectare grana. Ingentibus ſæpe oneribus, ſuaq; corporis mole altioribus videas ſubiicere humeros, ac trahere poſt tergum ſarcinas ipſum iter complanantes: neque ſolus dies ſufficit, luna quoque illuſtris ad laborem provocat, & futuræ præſidium vitæ, præſens tædium fatigatis abſtergit. *Vade, ò piger, ad formicam.* Septuaginta interpretum in codice Vaticano, apud eundem ſapientem lectio eſt, quæ adijcitur. *Vade ad apem, & diſce quomodo operaria eſt, operationem quoque, quam venerabilem facit.* Neque inſcia

y *Luc. 13. 7.* z *Prov. 6*

ſcita hæc admonitio eſt, quid enim in apum rep. deſidioſum eſt, cum auræ tempuſque laborantibus ſuffragantur. quanto ſe ſtudio per flores vere primo effundunt, quanta ſedulitate alios delibant alioſque, favis ſuis ac mellificio opportunos. quantus ordo operis; diſtrinctio laboris; convehendi cura, ſtudium cuſtodiendi! Signum ad opus quietemque ſequuntur; nunc ſuccedunt in officijs, nunc operas conjungunt; ſuam quiſque ſtationem partemque tuetur, citiuſque ſuccumbet, quàm deſit oneri, neque à rectè cœptis, niſi violentiâ deijcietur. *Vade, ô piger, ad apes* videbis alias pro portis excubantes, alias intentas domi operi: alias foris mella cogentes: alias hauſtas aquas deferentes: nonnullas etiam Regi ac ſenioribus famulantes, tum ſi quos mors occupaverit pro funere efferentes. Nullam ſua in rep. deſidia obtorpeſcere patiuntur, ſed otioſas catervatim proturbant, &

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent;

Si ad viliora his etiam luberet inſecta deſcendere, oſtenderem tibi araneam ſua ante in tela deſudantem, ipſaque exhaurientem labore ſuo viſcera, ne alimenta deeſſent. Verùm non ad unum animalculum, ſed orbem univerſum, te velim oculos converte-

re,

re. An quicquam in ipsis etiam simplicibus elementis reperis otiosum? Terra in educandis laborat frugibus, aqua in piscibus: aer in volucribus, sed & suis hic atque illa motibus agitantur, æstus ducit reducitque per reciprocos cursus oceanum, suis quassatur fluctibus, fontes ac flumina suo lapsu feruntur, ventis aer concutitur, & siquæ, vel aquæ stagnantes, vel auræ interclusæ quiescunt, mox vitio ac putredine corrumpuntur. Nihil otiosum diu sibi aliisque sufficere poterit. Intuere in cœlo solem ac sidera, frustra sint, nisi suis cursibus moveantur, suis terram influxibus vegetent. Quantum unius solis corpus est, quanta terræ cælique uno die emetitur spatia, quot quamque immensis gyris, quot annis revolvitur. Stet illud in cœlo lumen ad unius Iosue sæpius imperium, quanta rerum turbatio metuenda sit. Totum brevi orbem interire necessum fuerit, uno hoc quiescente sidere. Iam verò si & ipsa transcendamus animo sidera. Deus ipse mundi opifex hominumque conditor nullo non tempore operatur, iisdem conservandis pari cura laboreque intentus, quo universa condidit: *Pater meus*, ait Christus, *usque modo operatur*, *&* *ego*

ego operor, a otioſam manum non requirit, tot tamque diverſarum rerum provida ſimul potenſque ſuſtentatio. Sed & ipſos Angelicos ſpiritus num otioſos deſidere in gloria cœleſti patitur? quorum alios ad hominum tutelam, alios ad vrbium regnorumque protectionem, alios ad cœlorum ſiderumque motus deſtinavit. *Nonne omnes,* quærit Apoſtolus, *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis? b* Quis igitur non ſtupeat, ac deteſtetur inertem ac deſidem in orbe hominum vitam, quando nec in ſummis, nec in imis quicquam otioſum deprehenditur ipſe adeò Diabolus in quiete otioque nolit vivere, ſed noſtro perpetuo intentus exitio, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Solum capitalis ille noſter inimicus, qui nullibi requiem invenit, in unico illud hominis otio poſſidere creditur, quod otium ſit pulvinar Diaboli. Vide, mi homo, quemadmodum totius mundi creaturæ in te otium damnent, ac ſuo labore tuum exigunt, ne cum illæ tibi ſerviunt, aut invigilant, tu defuiſſe tibimetipſi turpiter videaris. Apoſtoli, iam dudum, hæc Chriſtianis præfixa lex eſt: *Si quis non vult*

a *Ioan.* 5 17. b *Hebr.* 1, 14.

vult operari, nec manducet c Erravit vehementer olim Ioannes Brevis, de quo in Patrum historia d Excessisse illum è claustro in solitudinem, ut soli intentus Deo Angelicam illic, ut aiebat, vitam viveret, ratus Deum sibi non minus, quàm Eliæ ac Israelitis in deserto provisurum sancto in otio. Verùm non omnibus Deus corvos altores, aut panem de cœlo destinat. Lex hæc antiquissima est, *qui non vult operari, nec manducet.* Nec Angelis quidem licet esse otiosis. Quare Ioannes noster iam fame sitique prope exanimis, Claustri ostium crebro pulsu lacessere, orare admitti, stomacho aliquod deficienti remedium poscere, clamare, *se fratrem Ioannem esse*: At respondent: *frater Ioannes Angelus factus est, desiit inter homines vivere.* Verùm cum miser totam noctem orando instaret, seque etiamnum agnosceret hominem, his verbis admissus est. *Si homo es, laborandum tibi ut vivas.* Tales hodie etiamnum Ioannes sunt, qui Angeli volunt esse, cùm laborandum est: homines cùm edendum ac bibendum. qui de ventre magis, quàm manibus solliciti, has vellent esse otiosas, illum bene occupatum. Ex illo plerique hominum genere, qui

c *2 Thess.3:10.* d *In Vit. Pat. l.5. tit.10.*

qui
Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant,

Otium nonnemo rectè dixit vivi hominis sepulturam. quid enim inter vivum hominem nihil laborantem, ac mortuum nihil suspirantem, discriminis est, nisi quod ille suum etiamnum ventrem, hic vermes, pascat? Notavit hanc in Servilio Vacia viro prætorio, sepulti velut hominis, ignaviam Seneca. Ille enim cum se abstractum negotiis reip. intra molle sub urbanæ villæ otium abscondisset, præteriens hunc locum Philosophus, tanquam mortuo conditurus epigraphem, inscripturusque monumentum, dixit, *hic situs est Vacia*: quòd nihil inter otiose viventem mortuumque interesse crederet *e* Ignavum hominem, neque ad aliud, quàm pastum sine labore intentum muscæ D. Franciscus Assisias comparare solitus est. has enim ad cetera desides, ad pastum improbo importunoque studio proiectas videas. postquam enim aliquod obiectum gulæ pabulum deprehenderint, nulla satis obnitentium contentione arceri poterunt. Vt iccirco vir ille Seraphicus cum à claustro omnem quoque desidiam proscriptam

e *Seneca Ep.*51. & *Calinus.l.*11,*c.*1.

ptam vellet, & suos, vel orationibus, vel laboribus intentos, fratrem otii amantem, mensæ tamen minimè negligentē; *fratrem muscam* appellare consueverit, ac denique frustra reprehensum, à suorum denique consortio removerit: ne musca hæc impudens sua alios ignaviâ inficeret, atque exemplo depravaret *f qui non vult operari, nec manducet.* Sed dignis quisque suo statu laboribus distinēdus est, alius enim religiosum hominē: alius secularem: alius Principem aut militem: alius agricolam, aut artificem labor decet: cuique Deus suo in labore providebit, ut qui alteri sæpe sterilis: aliis fertilis labor sit futurus. Quod si religiosus curare forum, secularis chorū velit, si Princeps agrum, agricola remp. moderetur, omnia susque deque ferentur, neque suus tam præposteris laboribus fructus respondebit. Ecclesiastici ac religiosi hominis labor est orare, psallere Deo, pro concione ad populum dicere, sacramenta in templis administrare, tum siquod ab his studiis tēpus vacuum, hoc externo honestoque aliquo manuū labore conterere. Hæc si fecerit Deus cetera providebit, nihilq; tali familiæ, in necessariis ad vitam alimentis patietur deesse. Neq;

vero

f *D. Bonavent. in vita.*

verò hæc quisquam otiosorum esse hominũ studia asserat, cum D. Bern. rectè advertat *vacare Deo non est otium, sed negotiorum* g *negotiũ* Vinea quæ nobis à Deo excolenda traditur, præ reliquis, mens ac conscientia est, hanc quisquis in se aliisque neglexerit, frustra aliis sese impendet laboribus. *nonne enim anima plus est, quàm esca. & corpus plusquam vestimentum?* Vt enim stultus est, qui vestimentum curat, & corpus negligit; ita multò maximè, qui corporis emolumentis suo se labore impendit, animæ commoda negligit. Quæ cum omnium assensione certissima sint, & hoc quoque certissimum esse necesse est, laborem virorum spiritualium, quibuslibet secularium studiis curisque anteponendum esse. *Viro Sapienti*, ait D. Bern. h *vinea est sua vita, sua mens, sua conscientia Nil quippe incultum desertumque in se sapiens relinquet. stultus non ita: cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta iacentia, cuncta inculta & sordida. Vbi vitis virtutis? ubi botrus boni operis? ubi vinum lætitiæ spiritualis? Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ,* i Nolim tamen

men

g *In florib.* c. 37. h *In cant. serm.* 36.
i *Prov.* 24. 30.

mon omnem à viris Deo dicatis externum laborem, temporalibus debitum rebus, proscribere: Cùm videam Apostolum Paulum vitæ exemplar Ecclesiasticæ, ita sibi vendicasse sacrum religionis studium; ut profanum illud, vitæ alimentis comparandis necessarium, non neglexerit. Ita senioribus Ecclesiæ dixit *aurum & argentum nullius concupivi. Ipsi scitis, quoniam ad omnia quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrarunt manus istæ* k Idem suis repetit Thessalonicensibus. *Ipsi* inquit, *scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus* l Quam si Apostolus curã sumpsit, neque ab externo manuum labore, aut itinerum varietate, aut periculorum gravitate, aut suæ alienæque salutis studio prorsus avocatus est, non est cur religiosi, aut Ecclesiastici hunc quandoque laborem detrectent. Certè otio apud illos locus nullus est indulgẽdus. Quod perquam diligenter olim meminit observatum in monasticis suis Institutionibus Cassianus m *Nullo*, inquit de Patribus Ægyptiis, *modò otiosos esse Monachos, ac præcipuè iuvenes*

K *sinunt*

k *Act.* 20:35. l *Thess.* 3:6 m *libro,c.*22.

sinunt: actum cordis, ac profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes: & non solùm à nullo quicquam ad usum victus sui accipere patiuntur, sed etiam de laboribus suis, non tantum supervenientes, & peregrinos reficiunt fratres, verùm etiam per loca Lybiæ, quæ sterilitate ac fame laborant, nec non etiam per civitates, his, qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusque substantiam, de fructu manuum suarum rationabile ac verum obsequium Domino, tali oblatione se offerre credentes. En quemadmodum tenui religiosorum labori Deus benedixerit: ut hinc sibi aliisque abundè providerent nec minus Diabolum otiosæ vitæ religiosis insidiantem fallerent: ut D. Hieronymus *n* breve monacho, at per quam utile monitum reliquerit: *Aliquid operis facito, ut semper te Diabolus inveniat occupatum:* Aut ora, aut labora. De secularium hominum labore, nemo prudens ambigit, verùm de ratione modoque nonunquam disceptatur. Regum ac Principum quorundam labor, præcipuus in venatu atque equitatione, in tragicis comicisve spectaculis, in saltu ac choreis in vino & epulis, esse videtur: ut si hi tantum ad lusus

n *Epist* 4.

lusus & voluptates dati mundo essent, ac

Fruges consumere nati.

Væ, exclamat sapiens, *væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendũ, & non ad luxuriam.* o Alium profectò Deus à Principibus laborem, quàm qui in molli luxu lusuque versatur exigit, aliam Sapiens illis occupationem præscribit *data* est, inquit, à *Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundum voluntatem Dei ambulastis* p En labor vester, si nescitis de hoc reddenda erit ratio ministri estis supremi illius dominatoris omnium, ipsius legibus custodiendis præfecti: à quibus, nec vobis concessum, deflectere, nec aliis, vestra indulgentiâ licebit, ut iustitia æquis iudiciis administretur: ne ante æquitatem largitio valeat, & Themis auro posthabeatur, rejiciantur causæ pauperum, viduæ pupillique negligantur, graventur plus iusto subditi, violentia & corruptela dominetur, religionis cultus

K 2 squaleat,

o *Eccle.* 10:16, p *Sap.* 6: 4.

squalcat, neque divinis, quæ par est, rebus observantia tribuatur Hæc vestra cura sit, de his ita vobis quotidie à vestris ministris xeigenda estratio, ut hanc vos memineritis tanquam supremi Regis, Iudicisque ministros, de quolibet etiam opere reddituros. Si vestra vos ab hoc officio voluptas abstraxerit, si venatio, si spectacula, si immoderatæ epulę, aut alia oblectamenta avocarint, *horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim tempore conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* q Nec homines hanc ignaviam in suis ferunt Principibus, quâ ejusmodi, qui ad remp. spectant sese laboribus subtrahunt. Quis enim scriptorum est, qui istam Wenceslai Rom. Imperatoris inertiam tangit ac non detestatur, quâ ille posthabitis imperii negotiis in Bohemiam, ad quietum otium, luxuriā & epulas se recepit, de rhenano magis vino, quàm regno sollicitus, ut cū aliquando consumpto per incendium palatio, cella fuisset intacta; *salva* exclamaret. *sunt omnia* cùm verò ad imperium à Germanis Principibus evocaretur, responderet, sibi illic nihil post coronam susceptam, esse negotij, *si qui Prin-*

q *Ib. v. 6.*

Principum suâ indigeant opera, hi ad suum potius Regem, quàm Regi ad illos accedendum r Quare Hussitarum sub illo emersit in Bohemia hæresis, & latè flammas sparsit, quibus à Luthero ventilatis, tota deniqne correpta Germania est. Ipse vero wenceslaus ignavi ab omnibus cognomento notatus cũ præter nomen Imperatoris nihil gereret, boni parentis Caroli, pessimus filius, ab Electoribus ad rhenum depositus, imperium amisit in otio, honorem ignominia commutavit.

Luxus, luxuria, ignavia Principum, regnorum plerorumque pestis, ac ruina est. Nam hi ab illis mores facilè, in plebem manant, totasque regiones inficiunt:

Regis ad exemplum totus componitur orbis. Hinc bella, & nationum integrarum excidia, fames & inopia rerum omnium, quæ post se grassantem in capita mortalium pestilentiam plerumque trahunt, Deo Principum ignaviam raro impunè dissimulante.

Ceteros mortalium qui sub Principum vivunt imperio, illa Sapientis spectat increpatio s *Usquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus*

r *Dubrav. lib, 23.* s *Prov. 6.*

nus tuas, ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si Verò impiger fueris, veniet, ut fons, messis tua, & egestas longè fugiet à te. Egestas quosdam otiosorum hominum per insidias tanquam peregrè adveniens viator ceteris in nocte dormientibus, occupat: alios repentè, tanquam vir armatus, aggreditur. hoc est, quosdam vix sentientes sensim opprimit, rebus quotidie, velut sine sensu, in deterius prolabentibus: quosdam repentino aliquo prosternit infortunio, & velut uno mactat ictu, miserandas paupertatis victimas. Quocirca sapiens omnes, excusso somno desidiæ, impigros esse iubet, ut propulsatâ egestate hoc à nobis periculum avertat. Horret illa callosas manus, sudorem ferre non sustinet, motum acrem non patitur: podagræ chiragræque instar est, non quiescit apud inquietos. Præclarum hac in re Plinius *t* Furii Cresini agricolæ exemplum recitat. Angustum illi agrum fortuna dederat, sed insigni semper fertilitate copiosum: ut iccirco vicinorum, parcius ex agris etiam latioribus metentium, incurreret invidiam, suspicionemque malevolis faceret, veneficio hominem alienas fruges suum ad

t *lib.* 18. *c.* 6.

ad prædium transferre. Res hæc ad Sp. Albinum Curulem delata in iudicium, & rationibus adversariorum agitata est: quando Cresinus, suæ causæ quæsiturus patrocinium, instrumentum omne rusticum, graves ligones, ponderosos vomeres, boves validos, ac robustam, insvetamque, laboribus, præter se, filiam in forum adduxit: atque ad Iudices versus: *hac*, inquit, *mea sunt veneficia, quibus incantatas fruges meum in agrum pellexi.* Quo viso, auditoque omnium Iudicum sententijs absolutus est. Rectè sapiens *si impiger fueris, veniet, ut fons, messis tua.* Quod aliorum sors tenuis locupletur; aliorum lauta decrescat: si advertas animum, illorum plerumque labori horum desidiæ imputabis. Non hic ibo per diversa multorum officia, quorum alibi utilitatem proprius intuebimur; sed universè hic omnibus illud regii Psaltis accinam x *laboru manuum tuarum, quia manducabis, beatus es.* Nonnulli laboris inimici, militiam petunt, ut hic velut per otiũ, exspoliisprædisque, quà, iure, quâ injuria quæsitis ditescant Verùm hi plerumque deceptos sua denique opinione deprehendunt. Qui laborem fugit, inutilis & sibi & alijs miles futurus

x *Psal.*127:2.

rus est. Septimus severus Imperator hoc suis frequenter symbolum offerebat *laberemus*. Augustinus y singulares militum labores admiratur. *Veterani*, inquit, *homines, qui in militia laborant*, & *versantur inter vulnera tot annos, dum incipiunt militare à iuventute, quanta dura tolerant? quæ itinera? quæ frigora? quos soles? quantas necessitates? quæ vulnera? quæ pericula?* Quo verò hæc fine, nisi ut lucro aliquo ditentur? Hac spe præmiorum, vitam ipsam hostium telis offerunt, & per sexcenta mortis discrimina, n n incruento labore vagantur. Cyrus Persarum Imperator, si Iustino z credimus, suos ad Medorum iugum excutiendum animaturus Persepolim regni metropolim ingressus, convocatum populum die proximo cum securibus ad vicinam silvam exscindendam adesse iussit, fatigatosque altera deinde luce ad lautissimum epulum invitavit. Et quando iam omnes inter pocula ad hilaritatem solutos reperit, sciscitatus est: utra magis dierum grata esset? illane inter labores an hac inter laboris fructum? cumque hanc omnes præferrent, cum libertate inter gaudia traductam. Sed, inquit, illa præmittenda in labore fuerat. Nunc

igitur

y *In Psal* 30. *con*. 2. z *Iustin*. *l*. 1. *hist*.

igitur si me sequimini, brevi labore Medorum exciso imperio, nos in libertatem perpetuam vendicabimus Paruus labor ingentem fructum daturus est. Arrisit tam splendida conditio, fidemque dedére ad omnia sese ducenti Cyro obsecuturos. Et verò, paratissimo ad expeditionem usus milite, brevi non Persarum tantùm, sed & Medorum Dominus, servitutem his imposuit, quorum ante Imperiũ formidabat, parvo labore ingentium ipse cùm suis opum possessor, & dominator populorum. *Militia*, ait exercitatissimus per omnem casum Iobus *a est vita hominis super terram*. hic feriari velle & quiescere, stultum est. Quando David intellexit regiũ Saulis decretum: *b Virum qui percusserit Philisthaum hunc* (Goliathum) *ditabit Rex divitijs magnis, & filiam suam dabit ei*: nihil moratus animosus iuvenis, sese ad hoc duellum subeundum obtulit. strenuusque in campum pugnator prodijt, & triumphato hoste, victor recessit: Nihil magnum sine labore cuiquam mortalium Deus obtulit.

Hadrianus Rom. Imperator, priusquam adiret imperium, iam per omnes liberales exercitatus artes, labore effecerat, ut in

a *Iob. 7.* b *S. 1. Reg. 17.*

plerisque excelleret. hinc, Latinis iuxtà Græcisque excultus literis, eruditiores provocabat, medicus, Poëta, ac Musicus excellens: quin etiam Pictor, Sculptor, & architectus egregius. Vbi deinde imperium adeptus est, à summis ad imos usque animum curamque explicans, præcipuasque ipse pedes in militia provincias obiens, locorum omniū, Ducum, militumque nomina ac necessitatis privatas, adeò exactè tenere studuit, ipsisque porrecta vltro ope consulere: ut siquis rogator accederet; magnopere se præventum doleret; quandoquidem ultronea liberalitate præoccupare omnes gestiebat. His curis laboribusque, cùm septentrionales obiret provincias, Florus non inelegans id ætatis Poëta, ita submissis ad Hadrianum versibus ludebat:

> Ego nolo Cæsar esse,
> Ambulare per Britannos,
> Scythicas pati pruinas.

Sed Hadrianus suo & lætior & felicior labore, quàm Florus otio, hos eidem versus reposuit:

> Ego nolo Florus esse,
> Ambulare per tabernas
> Culices pati rotundos. e

Fal-

e *Sveton. in Hadr.*

Falluntur non tantùm milites verùm & Principes si ad otium, lusus & recreationem se natos putent. Carolus V Imperator quando regnum Hispaniarum filio Philippo tradidit, non honori, sed laboribus impar cessit, fassus deficientes vires tantæ rerū moli succumbere, filium exporrecti vigoris Regem substituendū videri. d Nunc videas ad dignitates properare nōnullos, qui de labore sustinendo parum soliciti velut ad ludum otiumque opulentum provolant, & alienis plerumque humeris administrationem credunt, parum ipsi percepturi emolumenti, dum quò curæ regendi, huc opes etiam provinciarum transferantur. Terra nulli sine labore fructum diuturnum proferet. Paucis: *homo ad laborem natus est, sicut avis ad volatum!* Nulli ab hac lege eximium esse licet sive ad caulam, sive ad aulam natus sit Symbolum unum est omnium. *laboremus*

CAPUT V.

Ratio optima parentum, quâ liberos educare ac minimè fallentibus opibus ditare possint.

UT parentes ad liberos magnis opibus ditandos exstimulem, exquisitis ad hanc

d *Strada dec.1.l.1.* e *Iob 5.*

hanc rem argumentis non erit opus. Nisi enim paternum affectum, prodigi ipsi suarum decoctores opum, aut novis amoribus irretiti, exuant, hæc illorum animos cura fodicabit. Et fortè multorum, ut locupletes, quàm ut probos relinquant liberos sollicitudo futura est maior. Non paucis illud Horatianum in votis carmen est

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos.

Hoc agendum, ut de insigni aliquo beneficio, canonicatu, & prælatura filio meo provisum sit; ille quamvis in cunis adhuc vagiat, neque quantum ad hæc officia vel affectus, vel aptitudinis allaturus sit, pateat. Formandus, vel invita natura & religione est, ne egere, aut inglorius aliquando latere cogatur. Et hæc nobilium sæpe parentum, ad status honorisque sui conditionem in prolibus conservandam præcipua cura est Qui non tam hoc agunt, ut Ecclesiæ bene consultum sit, quam suæ familiæ ac dignitati. Vnde dissoluta adeò multorum vita, tanta religionis nostræ labes, tam perniciosa in vulgus exempla manant: cùm quæ ad solius Dei obsequium à maioribus nostris instituta pièque fundata sunt, illa tam in

quos-

quoslibet temere, sine vitæ morumq; cura, transferuntur.

Nonnulli parentum, ut suos ditent liberos magis de cumulandis divitijs, ornanda familia, accersendis dignitatibus; quàm excolenda ad probitatem & sapientiam prole solliciti, nihil admodum pensi habent, qualem educent sobolem, modò videant opulentam. Talis illa apud Aristotelem *a* mulier est numerosæ parens prolis, quam ijsdem locupletandis deditam cùm non nemo sciscitaretur: *divitesne, an sapientes liberos mallet?* respondit: *rem quidem præclaram esse sapientiam; at divitias videri præferendas; quòd divitum plerumq; limina terant sapientes.* Hæc præpostera existimatio multorũ animos occupavit: quòd, cùm *pecuniæ obediant omnia*, non tam sapientiæ virtutisque, quàm pecuniæ exaugendæ studium, pro liberis, sit suscipiendum. Quocirca equorum ac pecorum quandoque maior, quàm liberorum rectè curandorum est ratio. Illis servi custodesq; seliguntur idonei; his sæpe, vel custos deest, vel magis ipse custodiendus adiungitur. Neque intelligunt stulti parentes, hanc, quæ per rectam institutionem iuventutis quæritur, regiam esse ad opes & honores viam; per

a 2. Rhet. c. 16.

neglectum verò disciplinæ morumque ad inopiam præcipiti viâ liberos devolvi. Ipsa enim experientia iam dudum nos docuit, educationis vitio, ad omne nefas, ac, quæ illud comitatur, profusionem opum, & honoris, iuventutem pessundari: profligatæ vitæ nullas parentum divitias sufficere: moderatæ verò tenues etiam facultates, ad opum iuxtà ac dignitatis incrementum, aperire aditũ. Audiamus hac in re facundissimum Græciæ Oratorẽ Chrysostomum. a *Vt fundus quidem*, inquit, *sit optimus, cuncta molimur, eumq́; fideli viro, magno cum studio, tradimus, & agasonem atque mulionem, procuratoremq́; ac dispensatorem, qui nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus: ceterùm quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro committamus, qui ipsius tueri ac servari pudicitiam possit. Et certè nulla possessio, nullus fundus, aquè nobis gratus ac charus esse debet: quippe hac omnia filijs quæruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illa gratia comparantur: quod profectò abunde absurdissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos: cetera omnia secundo loco quæramus*

a *Hom. 9. in 1. ep. ad Tim.* Nam

Nam siquidem illi, improbi fuerint, nihil illis pecunia proderunt, sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere divitem? bonum & benignum esse doce; ita etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit, nihil deteriori loco erit, quàm hi, qui plurima possident. Paupertas enim, vel invitos coërcet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperanterq; sinunt vivere. En viri sapientissimi lectionem, quam omnium parentum animis insidere velim. Brevioribus hanc, pro memoria, verbis Tobias senior, iuniorem filium ad divitias instruens, strinxit. *Multa*, ait, a *bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Planè ita est, multum bonorum possidebit, quem sola Deo hominibusq; virtus cōmendabit; omnibus facilè exuetur opibus, quem sola virtus destituet. Et si opes aliæ deficiāt, ipsa per se virtus sufficit; non enim quantum quisque possideat, sed quàm suâ contentus sorte vivat, spectandum est. Sat dives, qui sat bonus. *Non igitur*, inquit Chrysostomus, b *operā nostram ad colligendas opes collocemus, quas relinquamus filijs, sed doceamus eos virtutem, & benedictionem* Dei (exemplo

a *Tob.* 4.13. b *In Gen. hom*, 66.

emplo Iacobi morientis) *imprecemur. Ista enim, ista maxima sunt facultates, ista sunt ineffabiles divitiæ, quæ non absumuntur, quæ quotidie substantiam nostram augent. Nihil enim virtuti par, nihil virtute potentius; etiamsi mihi dicas, eum qui regnum habet, ac diadema gerit, nisi hanc habeat, quovis panniculoso paupere erit miserior.* Vt nihil illis, neque patribus, neque filijs infelicius fingi possit, qui à tam vera sanctaque Præceptorum linea deflectunt, & virtutis curam opibus posthabēt, bene nummatos, quàm moratos filios videre malunt. Quid? quod tam insanos nonnunquam parētes reperias, qui, & se, & filios perditum ire malunt, quàm ab opibus malè instructos relinquere. Ipsi per fas nefasque aurum congerunt, atque in filios lautè splendideque alendos effundunt, indulgent votis iuvenilibus, largiuntur poscentibus, liberosque non minus, quàm opes perdunt. *Sicut* inquit a idem Orator aureus, *parvi sæpe pueri, cùm cultellos & gladios arripiunt, eò quod nesciant bene eis uti, periclitantur (unde matres illis non permittunt impunè attingere) ita profectò & iuvenes pecuniarum abundantiâ freti, cùm rectè his uti nolunt, in periculum certum se præcipitant,*

a *Ibid.*

pitant, sarcinam hinc sibi peccatorum colligentes. Etenim luxus inde, deliciæ, & absurdæ cupiditates atque infinita mala nascuntur. Quanta fuit prodigi filij ruina, abundare opibus, hasque illi à parente importunè postulanti indulgeri? quàm repentè, quantoq; filij scelere diffluxere omnia, atque inops ex divite, famelicus ex hellũone: antè in aula & toga, mox in hara & sordibus conspectus est? quantò satius erat, aut eguisse semper Patrem, aut nunquam abundasse filium?

Infelicior tamen ille fuit, & Pater, & filius, quorum S. Antonius a alijque meminerunt. Vsuris palam notis, suas Pater, amore filiorum, opes non mediocriter auxerat. Iamque morti proprior Confessario sese expiandum offerebat. Verùm ille negabat fas esse absolvi à reatu talem, qui malè quæsitas opes possideret. *Restitutionem exigi, quàm nisi facto, aut data cautione præstaret, veniæ locum non esse.* Tergiversari ille primum, ac deinde etiam prorsus abnuere. Accessere filiorum preces ac monita; ut ne salutis suæ prodigus recta consulenti Sacerdoti obsisteret. *At nescitis,* inquit, *filij, quæ vos deinde calamitas exspectet, atque angustiæ mane-*

a c 2.p. *Sum.* t.c.7. § 3. *Peraldus tom.* 2. *tr.* 4.c.15.

maneant. Ita dum cunctatur, mors incumbens ad Epulonem Evangelicum animam transtulit: vnus filiorum hoc parentis funere consternatus, monet fratrem malè partis opibus esse cedendum: alter, *nullum suum esse scelus*, contendit, *neque tam sibi temere hereditate patriâ abeundum*. Igitur, excepit ille, *bonis ego paternis abeo, tibique ista cum discrimine relinquo. Malo illa perdere, quam ut me perdant*: simulque ad religionem se recepit. Frater tantis lætus opibus, nihil genio denegavit, dum insperata hunc etiam mors occuparet. Quæ res cum Religiosum anxijs de vtriusque salute curis distraheret, Deumque ardentius precaretur, ut Patris fratrisque exitum sibi aperiret: ecce, terram ingenti ante pedes hiatu videt discedere, ubi miserandus cum filio Pater, in medijs inferorum flammis conspicui, suum sese mutuò interitum horrendis exprobrare vocibus audiuntur. *O execranda*, inquit Pater, *hora, qua te genui! detestanda soboles propter quam brevi tempore locupletandam, æternùm perij!* *Detestande*, inquit filius, *Pater, qui tuo me exemplo & malitia has in flammas perpetuo cruciandum præcipitasti!* Quo tam tristi spectaculo suæ felicitatis, ex vitatis iniquis opibus, memor superstes filius, impensius

odisse

odisse tam fallacem mundum, Deumque servatorem complecti cœpit, inter spretas opes longè ditissimus: *Melius enim est modicum justo, super divitias peccatorum multas: Quoniam brachia peccatorum conterentur. confirmat autem justos Dominus, & hereditas eorum in æternum erit.* b Quam perversa igitur est & abominanda parentum insania, quibus volupe est, sibi filijsque quæsitis per fas nefasque divitijs, tam immane præcipitium instruere, opesque relinquere vitiorum alimenta, ac breve tantum prodigæ vitæ ludibrium! quæ quidem ut temere partæ sunt, ita temere profunduntur, corporisque atque animæ sanitate pessundata, maturo filios ad sepulchrum, & infernum funere deducunt.

Certior longè ad duraturas, in hac etiam vita, opes est virtus, ad quam soboles à teneris educatur. Siquidem temperantia ad sobriam modestamque vitam instruit, ne in luxum luxuriamque prodigè opes impendantur: prudentia ad res agendas, felicique via atque exitu traducendas instruit; ut & damna avertantur, & honesta ubique lucra affluant: Justitia proximi benevolentiam, dum cuique suum tribuere observatur, ad omne emolumentum conciliat: Fortitudo denique

b *Psal.36.*

denique adversa quæque incumbentia, tum arduos in rebus comparandis labores, docet perfringere. Quibus præsidiis quicunque munitus fuerit, hunc, licet in tenui collocatum fortuna, brevi ad magnas opes emergere necesse est: tum si quæ parta fuerint, constanti felicitate tueri.

Nec minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Quare prudens Siracides instructurus patrem de educatione filii, non monet, opes illi acervandas esse, providendumque de lauta hereditate; sed inquit: *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva eos à pueritia illorum.* a Hæc rectissima ad divitias via est: aliam si consecteris, & te & illos brevi in lubrico præcipitabis, ad Plutonis citius, quàm Pluti arcem pervenient. Præclarè Æneas ad magna suum instruebat filium.

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem

Fortunam ex aliis.

Nolo mihi aliud præter virtutis laborisque studium debeas, fortunam tibi imputes aliisque. Quare eundem, in duris militiæ rudimentis, non leviter ad agendum patiendumque fortiter instruxit, secus quàm divitũ nobiliumq; multi, inter purpurã & scitamenta

a *Eccli.* 7. 25.

tamenta puerilia, domi molliter suos educant filios, ut jam adolescentes atque in publicum ituri vix frigora esuriemq́; norint. Quam illi apud Aristotelem, b Virgiliumque diversi populi! de quibus hic canit.

Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoque gelu duramus & undis.

Hanc à Galeno quoque consuetudinem accepimus probari, cùm non minus solidari hac ratione molles puerorum artus asserat, quàm ferrum calens, quod in gelidas projectum à fabro aquas firmatur. Neque experientia nos fallit in hominibus hyperboreo cœlo propioribus, quorum vastiora esse ac solidiora corpora, nemo ignorat. Quæ quidem firmi corporis in filiis cura minimè est aspernanda, quòd labori virtutique persuadendæ, atque à molli luxuria adolescentiam ad honestatis studia traducendi, non leve præstet adjumentum. Ad mollia enim quæque enutritum corpus, cùm voluptatibus opportunum adoleverit, non facilè ab illorum gustu abstrahes, & ad studia asperiora convertes. Voluptas autem immodicè quæsita, cùm pretiosis nutrimentis alatur, opum quædam charybdis est, nec tantum augendæ fortunæ spem amputat, sed

b *lib. 7. Polit, c. 17.*

ſed præſentem quoque peſſundat, ſiquidem talis adoleſcens eſt

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris. a

Quocirca in illa adoleſcentiæ ætate, quæ primos luxuriæ ſtimulos experitur, omni cura advigilandum eſt, ne guſtu voluptatis devia, illi ſe totum permittat, & abiecta mentis ac ſtudiorum bonorum cura, in molliciem præceps abeat. Huic itaque malo præſtruendum eſt, moribus ante hos annos ad honeſtatis probitatiſque amorem formatis, ut periculorum jam admonitus adoleſcens, præcipitium antè horreat, quàm ſentiat. *Habet enim*, inquit de hac ætate D. Hieronymus, b *in ſe lentum quiddam ac molle, quod formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi; & in cunctis ferè rebus citius aſſueſcit omne quod tenerum. Novellas adhuc & vix firmæ radicis arbuſculas, dum ad omnem ductum ſequaces ſunt, in quamlibet partem flecti facile eſt. quæ naturâ plerumque curvata, citò ad arbitrium colentis corriguntur.* Notum illud Venuſini vatis eſt,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Quod ſi corruptis primum moribus adoleſ-

ſcentia

a *Hor. de arte poët.* b *Ad Demetr.* t. 4.

centia imbuta sit, spes difficilis est emendationis; natura blando, sceleri nimium favente. *Lanarum nigra nullum colorem bibunt* Non fallit, nec fallitur sapiens. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab illa:* c Ad moderationem igitur ac frugalitatem, jam primo in ævo, adolescens instituendus est, quē adultiorē ad res suas conservandas augendasque volueris esse industrium. Doceatur quandoque famem sitimque experiri, nihil in cibo potuque immodicum quærere, solâ necessitatis lege victum metiri, vestem suæ conditioni idoneam quærere, peregrina & superbiam vanitatemque redolentia aversari, in lusu ac remissione præscriptas à majoribus tenere metas, somni vigiliarumque ex vulgari usu norit partiri tempora: ut vires reficiantur his laxamentis, non solvantur inertiâ. Hæc universa navi prudentisque sunt hominis exercitamenta artesque, quibus honestas, opesque, & foventur cùm possides, & multiplicantur dum acquiris.

Nihil infelicius illis Parentibus est, qui ita divitiis cumulandis intendunt animum, ut liberorum recta institutio in posterioribus curis sit. Hos aliis temere ac sine delectu credunt,

c *Prov.* 22.6.

credunt, atque illic sæpe collocant, ubi spes aliqua utilitatis quæsita affulget, aut ubi minoribus erudiri impensis queant; non tam solliciti, quis illis Pædagogus, aut Didasculus præsit, aut quo ad bonos mores ac studia profectu educentur; quam quanto suorum illud loculorum commodo futurum sit. Ita dum filium opibus posthabent, illum non rarò cum opibus profligant. Certior illorum etiam pernicies est, qui domestico liberos exemplo corrumpunt. Quid enim boni ab hac sperent sobole, quam licet rectis admonitionibus ducant, pravis tamen verborum vitæque dissolutæ lenocinijs revocant. Ethnici vatis exhortatio est. a

Maxima debetur puero reverentia, siquid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos.
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos autoribus.

Frustra opes filiorum cumulabis, quos vitiorum tuorum heredes relinques. Vis scire, quid hi denique facturi sint? opes quas collegisti amabunt, te despicient, & vitiis provocati tuis, & suis. Ad mortem adspirabunt parentum,

a *Iuven. in sat.*

parentum , ut partis ad votum potiantur opibus. Longiorem parentum vitam, suam judicabunt pœnam , & si ferrum illorum non admoveant jugulo, millies tamen libitinæ devovebunt hostias, ne pinguiori dudum prædâ frustrentur: aut seipsos denique fortunasque suas improviso aliquo præcipitio evertent. Non ignorabat hæc Dionysius Junior Siciliæ Tyrannus. Cui, quòd cum Dione Principe gravis intercederet æmulatio, hoc denique in exilium pulso, ut filium, quem habebat unicum bonorum heredem, subverteret, suâ illum in aulâ omni indulgentia habuit , nihilque quod ad voluptatem libertatemque vivendi faceret, voluit denegari. Revocatus subinde Dio redditusque eidem est filius. Quem cùm pater ad frugem honestamque vitæ disciplinam conaretur instituere : omnem sese curam industriamque frustra animadvertit collocare; quòd soluta per indomitam libertatem vita paternâ castigatione stringi jam amplius non posset. Igitur domesticis clausum parietibus tenuit, sensimque erepto voluptatum usu ad saniora erudiri, educarique in spem familiæ posse credebat. Sed væcors indomitusq; juvenis, nec custodiæ patiens, neque ademptæ libertatis licentiæque pœ-

nas sustinens, patrem, totamque familiam suâ morte afflicturus, se ex suprema ædium parte præcipitem devolvens, infelicem animam profudit. *c* Hæc filiorum malè educatorum intemperies, quâ vel sibi vel parentibus, vel utrisque etiam extremam denique calamitatem adferunt, longâ experientiâ, multorumque illustrium hominum exemplis damnata est. Quis ignorat illa Augusti Cæsaris felicissimi in ceteris rebus hominis, lamenta, cum filiæ & nepotum malè educatorum mores intueretur, ac sæpius illud Homericum usurparet: *O Vtinam cælebs mansissem, orbusve perissem!* *d* Quid summum Hebræorum Sacerdotem Heli cum filijs perdidit; quid Davidem in Ammone & Absalone miserè afflixit: quid ipsum quoque mortalium Sapientissimum Salomonem animo dejecit, cum Roboamum successorem videret, præterquam neglecta filiorum educatio? *Detestatus*, inquit Sapiens, *e* *sum omnem industriam meam, habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum Sapiens, an stultus futurus sit?*

Eandem cum Salomone sortem (ut recentiori exemplo utamur) experiri visus est,

c **Probus in Dione.** *d* **Svet. in Aug.** *e* **Eccle. 2.**

eſt, glorioſiſſimus Rex Hiſpaniarum *f* Philippus II. in Carolo ex Maria Luſitana. Cum enim puero libertatem feciſſet abſentia patris, ſimulque indulgentia Maximiliani Bohemiæ Regis, qui cum Maria conjuge Caroli V. filia, Hiſpaniam pro Philippo moderabatur; ſerius Rex Philippus corruptam jam adoleſcentis indolem ad diſciplinam revocare conatus, fruſtra Complutum ad ſtudia cum Ioanne Auſtriaco, & Alexandro Farneſio amandavit: nonnunquam cœlo, nunquam animo juvenis immutato. Unde à parente aſperius habitus, nihil illius aſpectu moleſtius ſuſtinebat. crevitque cum ætate averſio, præſertim ubi ſperatum cum Maximiliani Cæſaris filia connubium differri vidit. Quare hinc ampliſſimam fortunam patris, &, præter Hiſpaniarum, extera etiam regna tot opibus locupletata, intuitus, dolensque, ſe illius impeditum vitâ, ac longis de ventura ſorte moris ambiguum. præceps mente conſilioque, jugi impatiens, regnandique cupidus, non pauca molitus eſt, quæ illum patri redderent metuendum. Rex cùm afflictos filii mores variis nequicquam ſanare remediis pertentaſſet, denique à fugâ, quâ concitatum tumultibus Belgium petebat.

f Fam. Strada dec. 1. lib. 7. bel. Belgici.

possidet. Abesse procul à vitiis, proxima certissimaque ad divitias, in rectè educata juventute, via est. Nemo honestè natus nutritusque inops periit, qui mentis virtutumque opes non neglexit. *Filius Sapiens* (ut credimus Sapienti) *lætificat patrem; filius verò stultus mœstitia est matris suæ.* a Quanto hinc dolore Jacobum Patriarcham afflixerint filii, cùm Joseph illos *accusaret de crimine pessimo*: inde rursum gaudio exultarit, cum laudatissimum filium Josephum, quem malè interiisse persuasus erat, *vivere ac dominari in Ægypto* intelligeret: nemo sat digno sermone exposuerit, nisi qui paternum ergà filios affectum satis noverit æstimare. *Revixit enim spiritus ejus, & ait, sufficit mihi, si adhuc Joseph vivit: vadam & videbo illum antequam moriar.* b Memorabant fratres Josephi amplissimum in Ægypto apud Pharaonem imperium, ostentabant *plaustra & universa quæ miserat*, ad quæ spiritus ejus revixit. Gaudebat de filio senex pater, de patre filius; ac primo rectæ educationis, & hic, & iste præcipuum delibabat fructum. Dederant jam pœnas corruptæ fratres vitæ, & fame, & terrore, & frequenti peregrinatione afflicti: ipse etiam siquid negligentiæ

L 3 pater

a *Prov.* 10. b *Gen.* 37. & 45. v. 28.

pater admiserat, non una calamitate compensarat. Reliquum erat, ut felicitatis quoque illius, quæ ex recta Josephi ad castitatem virtutemque omnem institutione manabat, fructum cum filio perciperet. Hoc Deus seni in ultimam ætatem solatium reservaverat: quando ex sterili Chananitide evocatum ad fertiles Ægypti oras, atque imperantis latè filii conspectum complexumque transtulit, denique experturum patrem, quanti ad filiorum opes felicitatemque cumulandam intersit, illos ad omne virtutis experimentum educasse. Indubiæ veritatis testimonio signatum est: *confirmat justos Dominus & hereditas eorum in æternum erit.* d

CAPUT VI.

Quæ in omni negotiatione hominibus, præsertim Mercatoribus fugienda, quæque sequenda sint, ut in opibus & præsentis vitæ felicitate, sine jactura salutis, proficiant.

CUm ad opes facultatesque hominum in rep. augendas mercatura inprimis faciat, hæc nobis pars negligenda minimè videtur. Florentissimas enim urbes, ex illius frequenti

d *Psal.* 36.

frequenti usu conspicimus, præsertim illas, ad quas navigationis commodo facillimè merces ultro citroque deportantur. Non diffiteor multorum vitiis negotiationem infamari, ideoque & gravissimorum scriptorum stylo confodi, & à multis, discrimine salutis territis, declinari. Verùm cum nulla humanæ vitæ conditio statusque tam felix sit, qui scelerum immunis haberi possit, & quo status quisque illustrior, hoc plerumque gravioribus vitiis infestetur, atque in Regum ac Principum aulas, hæc etiam pestis transeat, purpuraque & auro inprimis delectetur, non est cur iccirco mercaturam existimemus damnandam, quod crebris malitiosorum hominum morbis obnoxia sit. Hoc solum nobis curæ erit, ut, quâ potissimum viâ, inter æqui rectique limites, ad solidas sit opes perveniendum, constare possit. Hanc enim si apertam homini esse demonstremus: non arbitror quenquam tam aversum ab omni honestate ac virtute reperiri posse, qui scelere, quàm æquitate malit ditescere, cùm & ratione, & experientia constet, & divina ordinatione firmatum illud sit, quod vulgatâ parœmiâ receptum est: *malè parta malè dilabuntur.* Diu verum est,

De malè quæsitis, non gaudet tertius heres. Non immittam hic me in demonstrationem illam, quæ infelicem horum progressum exitumque tradit, qui per aliorum injuriam ditescunt; cum gravissimis exemplis constet, nec opes quidem justè quæsitas diu citra periculum possideri: Epulone, & divite, meis, hac in re, testibus. Nemo hos damnavit injustitiæ, suâ tamen affluentiâ præcipitati sunt, fortium planè humerorum est, ingens opum pondus citra lapsum sustinere. Iterum nimis insanum esse interpretor, velle Christianum hominem, sive per fas sive per nefas ditescere, quando compertissimum est, nisi restitutis opibus, talem servari non posse, ut vel cœlo, vel rebus malè partis carendum sit. Cum Zachæo dicendum est, *si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. a Vel cum Epulone æternis ignibus ardendum. Præposterum igitur sit ex injuria, aut fraude velle ditescere, quando alienarum tibi rerum, tam manifesto discrimine, restitutio imperatur. Divino & humano jure receptum est, quod Augustinus dicit, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Alienum certè est, quidquid per injuriam possides, neque illo potes esse ditior, quamvis per ignorantiam dicaris.

De

a *Luc.* 19. 8.

De illo agimus Mercatore, qui opes per justitiam partas, & verè suas possidere, & amplificare æqua ratione voluerit. Neque certum negotiandi genus complectimur: omnibus hanc operam, & legibus solum generalibus, impendimus, ex quibus singuli privatas facilius rationes moderabuntur.

Principiò si integro cuique etiamnum electio sit, ut hoc illudve mercimonii genus complectatur: non solum animo præfigendum est commodum, quod cum familia ex illo ipse possit decerpere, sed quod toti, in qua vivit Reip. maximè conveniat, & cum minimo suæ sit salutis discrimine conjunctum, illo quidem ordine, ut animæ salus præcipuè, & post hanc bonum Reip. postremò utilitas privata, suo rationum pondere, inflectat. Qui secus fecerit, divinum humanumque ordinem evertet. divinum quidem, cum universus vitæ nostræ cursus ad unicam salutis nostræ rationem institutus sit, & si hac excidamus, vana, probrosa, execranda sint cetera, quæ hac via abduxerunt, omnia: & *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* b Humanum perturbabit ordinem, quia negotiatio ad Reip. & com-

b *Matth.* 16, 26.

mune Societatis bonum potissimum est, publicâ autoritate, instituta, suisque legibus ac privilegiis munita. Unde si quis insano quodam cupiditatis æstu, & Reip. & salutis posthabito commodo, eò tantùm feratur, quò cæca spes lucri, & utilitas privata ducit, hunc pronum est, contemptis æquitatis legibus, per fas nefasque ad sua grassari commoda: nihilque inter ejusmodi mercatorem & furem latronemque interesit, nisi quòd ille sub honesto negotiatoris pallio, aliorum possessiones involet, lupus rapax, sub ovina pelle: hic aperta vi alienas opes aggrediatur. Porro, seu primùm mercaturæ te dedas, seu in ipso denique negotiationis cursu teipsum colligas, hoc, quo dixi, fine & ordine res instituenda est, ne cupiditatis abreptus æstu, Reip. salutem, propriamque pessundes. De salute præferenda nemo ambigit, de publico bono privatis emolumentis præhabendo major queat esse controversia: Sed hanc nobis humanæ divinæque sapientiæ leges abundè definiunt, quando membri unius jacturam totius corporis vitæque detrimento posthabent. *Medici*; ait in Verrem Cicero, *membrum sæpe putrefactum incidunt, ne aliam corporis partem labefactare ac corrumpere possit.* & alibi *ut*, inquit, *leges*

leges omnium salutem singulorum saluti ante-ponunt. Sic vir bonus & sapiens, & civilis officii non ignarus, utilitati omnium, plus quam unius alicujus saluti consulit. c Plutarchus in corpore Reip. mercatores pedes esse censuit, quibus præcipua Reip. moles sustinenda incumberet, quique corpus hoc velut ad humanæ societatis commercium, & alimenti acquirendi necessitatem circumferrent. Alii hanc politici corporis distributionem faciunt, ut pro pedibus servos, pro manibus artifices agricolasque, pro pectore milites, pro ventre nobiles, pro dentibus & stomacho molitores & coquos, pro lingua advocatos & causidicos, pro capite magistratus, pro externis sensibus Mercatores adhibeant. Utcunque verò illorum, hoc in corpore, munus dispertitus fueris, semper magis bono totius, quàm partis natos intelliges Quis enim pedes non damnet, qui corpori non magis ferendo, quàm sibi tantùm movendis deservire velint? quis sensus non detestetur, sui potius curam, quàm corporis sustinentes? Hæc profectò cogitatio populum Rom. cum plebs nobilitati, ut ajebat, otiosæ deservire nollet, ideoque secessione facta seditionem meditaretur

c *Lib. 3. de Finibus.*

psit, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Hic seipsum postremò eversurus est, Deo & hominibus iniquo lucro adversantibus.

Ex hac igitur regula sapientum Mercatorum, ad solidas duraturasque opes adspirantium negotiatio instituenda est, quam Christus omnibus tradidit in Rep. viventibus: *quodcunque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis.*

Adversus hanc regulam peccant 1. quotquot, necessitate prævisa, coëmptis generis unius mercibus, atque ab aliis passim ad se traductis, (quamvis nec lex singularis, nec Resp. vetet) eas deinde graviori, quàm par est, pretio distrahunt: nisi manifesto id fiat totius etiam Reip. emolumento. Ita Aristoteles f memorat, quendam in Sicilia, pecuniâ apud se deposita, omne ex officinis coëmisse ferrum, ut, cùm Mercatores vicinis nundinis affluerent, solus ipse pro arbitratu ferrum venderet: quò factum, ut ex quinquaginta talentis, totidem ipse factus ditior, centum receperit. Ita quamvis nihil adversus legem Reip. peccasset, Rex tamen Dionysius Syracusis illum totâque insulâ abesse jussit; quòd commune bonum privato posthaberet. Factum hoc excusari poterat, si venditores

f *Lib. 1. pol. c. 11.*

ditores oblatis ultro mercibus pecuniarum indigi emptorem provocassent, ut Pontanus *g* Eutycho Sabino evenisse narrat, qui, ceteris aspernantibus, oleum, vilissimo à præcone oblatum pretio, totum coëmit. Quod, cùm anno sequenti nullus esset ex olivis proventus, tertio etiam quartoque anno spem communem frustrante, repente hominem insperatis opibus locupletavit. Sic neque Thaleti Milesio, uni Græciæ Sapientum vitio verti potuit, quod, cùm nonnulli paupertatem illi exprobrarent, inutilemque dictarent sapientiam, quæ egere pateretur; ipse, ut ostenderet Sapienti ad opes, cum vellet, non difficilem accessum esse, fructum olearum passim futuræ æstatis (quẽ locupletem admodum fore prævidebat) arrhabone dato, sibi vendicarit: ac mox, cùm fecundissimus esset, insigni lucro aliis mercatoribus transcripserit. *h* Quá, & industria, & providentia, ita Josephus se suumque Regem Pharaonem in Ægypto locupletavit, ut coemptis toto regno, in septem annorum ubertate frugibus, septem aliis sterilitate afflictis, non minus populorum saluti, quàm regiæ opulentiæ prospexerit. Quod si enim hæc fuerint cum publico universorum bono conjuncta, privatæ fortunæ bonum jure cohonestabant. Verùm

g *Lib. 2. de fort. c. 13.* h *Arist. l. cit.*

Verùm hac in parte excedunt etiam, nec sanè leviter, qui acervatas fruges, egestate jam publica incumbente, subducunt, dum gravissima necessitas, & assequendi difficultas, immanè rebus pretium constituat: ut non tam consultum bono publico, quàm privatæ hominum cupiditati videatur. *Vir fidelis multum laudabitur, qui autem festinat ditari non erit innocens:* i Aliorum calamitate subitò velle ad magnas opes emergere, Deo summè ingratum est. Multis illud divinæ vindictæ exemplis doceri posset, unū nobis hoc loco suffecerit, cujus hodiedum Confluentiæ, ad Rheni Mosellæque confluvium sita vrbe, memoria est. Ubi in domo, haud procul à ponte, frumentorum coemptor locuples, cùm in communi necessitate, gravioris lucri cupidus, congestas diu fruges premeret, vermes totam incessere siliginem, ut hæc animari prorsus, atque alas etiam induere visa, quaquaversum per fenestras rimasque in publicum sese effundere, & non tantùm prodere, sed & invisâ possessione avarum destituere herum cœperit. Ita Deo ingratus, invisusque hominibus, infelix homo, exemplum meritò castigatæ avaritiæ mundo fuit. Quo arbitra-

ris

i *Prov.* 18.10.

ris hunc vultu hominem, quà confusione oris quà animi consternatione, cupiditatis deceptæ stimulis, lancinatione avaræ & consceleratæ mentis publicum subiisse, quo sensu & execratione populi exceptum, qui non nisi reip. istius labes, ac monstrum potius hominis, quàm homo poterat videri? Juvat in simili avari hominis confusione non indisertum audire Chrysostomum. *Vultis*, inquit de avaritia, *k liquidò nosse, quomodo divitiæ homines, non sinant esse homines, sed feras atque Dæmones? Siccitas quondam occuparat civitatem nostram, & videre erat cœlum factum æneum, & mortem omnium gravissimam indies exspectari, Deumque invocari, ut metu illo liberaret. Cujus benignitate, præter spem omnem, multa & immensa pluvia supernè decidit. Omnibus igitur celebritatem, & festum diem agentibus, quippe qui ab ipsis portis mortis reverterentur, dives quidam tristis, dejecto animo, mœrore mortuus obambulabat. Cumque multi illum rogarent, ne continere quidem intus potuit, sed cum tyrannide acerbi istius morbi pungeretur, causam in medium protulit: Decies enim mille, inquit, frumenti mensuris deinceps quid faciam, non habeo. Quid ais? Quod non omnes*

k Tom. 5.

nes perierunt, tuque aurum accumules, doles? Non audisti quid dicat Salomon? l Qui ad precium augendum, asservat frumentum, vulgo execrabilis. *Sed obambulas communis bonorum totius orbis inimicus, & liberalitatis Domini hostis, & Mammona amicus, atque adeò servus. An non præcidi linguam illam oportuit? an non extingui cor quod talia verba peperit? Quid enim potest esse ipso miserius divite, propterea dolente & indignante, & periisse se putante, quod infinita possideat, & quotidie optante famem, ut aurum ipsi augeatur?* Hæc expendant, quotquot nimia lucri cupiditate cæci, ita privatis intendunt commodis, ut à publicis animum avertant. His enim simul (ut fieri potest) spectatis, neque exclusis à præsidio pauperibus, hæc via expedita multis est ad opulentiam.

Peccant II. Adversus hanc regulam, cùm plures instituto, coemptarum passim mercium aut frugum, monopolio, inter se de majori, quàm vænire solet, pretio conveniunt. Quòd ejusmodi pactio bono publico & justitiæ repugnet. m Imò verò etiamsi intra justum subsistant pretium, charitati tamen Christianæ difforme sit, a-lios

l *Prov.* 11. m *L. unic. Cod. de Monopoliis.*

lios ab ejusmodi negotiatione excludere, nisi autoritate Magistratus id factum sit, isque pretium rebus vendendis præscripserit, ut publicæ simul utilitati consuleretur. Verbo, quandocunque per ejusmodi monopolia, vel annonæ caritas in remp. inducitur, vel ceteri quibus jure licet, ab emptione aut venditione arceantur, adversus charitatem, legalemque, ut minimum, iustitiam peccabitur, quique damnum intulerunt, restitutioni manebunt obnoxii: etiam ipsi Magistratus monopolia concedentes, nisi ex bono reip. hoc ab illis indultum fuerit. Quia lex communis est; *ita cujusque esse commoda procuranda, ne alteri per hac fiat injuria.* Quâ de re Navarrum, Molinam, Lessium n & Lugonem o fusius disceptantes licebit consulere.

Peccant III. Qui minoris, quàm par est, vendunt; ut emptores ab aliis ad se traducant, cogantque illos, vel suas retinere merces, vel cum damno easdem vendere. Nisi enim necessitas huc impellat, ab usitato rerum pretio, quo tam emptoribus, quam vẽditoribus consultum sit, non facilè est recendendum. Nam legi receptissimæ adversatur: *quod tibi non vu fieri, alteri ne feceru*

Pec-

n *Less. l. 2. c. 21. d. 21.* o *Lug. d. 26. s. 3.*

Peccant IV, qui conſpiratione inter ſe initâ, minoris, quàm par eſt, licitantur & emunt, quando alii emptores deſunt; ut ìecirco conſueto juſtoque pretio vendere mercatoribus non liceat, tenenturque de injuria & damno, hac arte, venditoribus cauſato, ut ex Leſſio intelliges.

Peccant V. qui pauperculis hominibus, res ſuas ex neceſſitate coactis vendere, pretium nimis vile offerunt, vel qui ab hominibus rerum pretium ignorantibus ad ſe illas cum iſtorum damno traducunt; niſi fortè ſublatæ furto cum voluntate reſtituendi, comparentur: aut potius animo præſtandi gratiam venditori, quam quod oblatis rebus indigeas.

Peccant VI. qui, quòd rem videant emptori admodum neceſſariam, illius pretium augent; cùm utilitas hæc ſingularis ad privatum emptoris non venditoris commodum ſpectat. Niſi fortè rem ejuſmodi à te poſtulet, quâ ob affectum, aut raritatem ægrè careas, non relicturus, niſi emptor perurgeret.

Peccant VII. qui diſſimulatione, fraude, mendacio, aut quacunque mala arte, vel emptorem inducunt, ut ſupra conſuetum pretium emat: vel etiam venditorem, ut infra

infra illud vendat. In quem scopulum siquis Mercatorum non offendat, hic omnino felix est, & illi accensendus, quem David prædicat: *beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet, nimis. Potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur. Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in seculum seculi.* p Planè talis beatus, & in hac, & in vita est altera, quia *benedictio Domini super caput justi*: Nam si gloriam & opes in hoc mundo desiderat, *Gloria, & divitiæ in domo ejus*: si potentiam, *potens in terra erit semen ejus.* Si in altera vita felicitatem exspectat, *justitia ejus manet in seculum seculi.* En quanta Dei liberalitas & profusio in hominem, qui timore Dei munitus omnem à se fallaciam; artesque fraudulentas excludit. Contra fraudulentorum hominū cervicibus & hujus, & æternæ vitæ ingēs calamitas imminet, ac plerumq; tantò feliciores habendi sunt, quantò in hac infeliciores vidētur, quòd præsens miseria, vel remedium, vel certè levamentum aliquod sit futuræ. Primò enim, *non inveniet fraudulentus lucrum* q Nam, *qui decipit justos in via mala, interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus* r Nisi igitur nos fallat

p *Psal.* 111. q *Prov.* 12. r *Prov.* 28.

fallat verbum Dei, illi fallentur, & laqueos, quos aliis collocant, ut iniquo rerum pretio suis illos bonis exuant, ipsi, propriis exuendi bonis, incurrent. Talem Mercatorem regius vates alloquitur, & infausto terret vaticinio : ***Ecce**, inquit, **parturit injustitiam. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*** f Et profanus vates præcinit Ovidius.

Fallentes ex magnâ parte profanum
Sunt genus, in laqueos, quos posuere cadunt.

Magis interdum execrabile Deo & hominibus malum est fraudulentia, quàm sit manifesta vis & injuria : nam illa per insidias hominem aggreditur, bonisque spoliat : ut declinari illius malitia vix possit : at hæc aperto Marte invadit alios, palam arma ostentat, & manus injicit, ut quem deinde cavere possis, non ignores. Romani Oratoris t hic sensus est; ***cùm duobus** inquit, **modis fiat injuria, aut vi, aut fraude; fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur : utrumque verò ab homine alienissimum. Totius autem injustitiæ nulla est capitalior, quàm eorum qui cum maximè fallunt, id agunt, ut boni videantur.*** Hæc videlicet illa est injustitia quâ fallaces Mercatores, qui fraude, arte, mendaciis quãdoque

f *Psal.* 7. t *lib.* 1. *offic.*

doque etiam perjuriis merces suas proximo, supra pretium, obtrudunt; ut alienis locupletentur opibus, suaque argento credulos emptores spolient. Vitio omnibus Mercatoribus familiari, quotquot immoderata opum cupiditate tenentur. Ut fraus in Mercatorum officinis potissimum nasci & educari videatur.

Fraus quid sit, haud sciunt, qui aurum nesciunt.

Verùm hi omnes, ut dixi, Deo execrabiles non minus; quàm pessimi homicidæ videntur: ideoque non rarò inter se sociantur. *Virum sanguinum*, ait David, x *& dolosum abominatur Dominus*: nec verò impunitam diu hanc illis malitiam fore testatur alibi: *viri*, inquit, *sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos* y Sed hoc longè tristius, quòd temporali non solum felicitate privandi sint, verùm etiam æternâ. Ut Apostolus gentium hanc mortalium stultitiam admiretur, quod tam præposterâ viâ ad felicitatem contendat, cùm multò beatior ille hac in vita alteraque sit, qui fraudē patitur, quàm irrogat. Unde suos Corinthios reprehendens sciscitatur. z *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis*

x *psal.* 5. 8. y *psal* 54. 24. z 1. *Cor.* 6. 8.

magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?

In hoc igitur scopulo, cùm tot Mercatorum non æternæ modò, sed præsentis etiam felicitatis naufragium faciant, ut ab utroque hoc malo, quàm longissimè absint; ad utrãque verò felicitatem æquis passibus, inter tot discrimina, progrediantur; fusius aliquantò, separata disceptione, & pericula Mercatorum aperienda sunt, & emolumenta, investiganda. Quæ res tantò altius omnium animis insidere debet, quantò magis indubitata veritate ex S. literis confirmantur. Ut nulli sua cupiditas blandiri istic debeat, ubi summa autoritate Numinis tam disertè avocatur.

CAPUT VII.

Divitias stabiles æquis non iniquis artibus in negotiatione acquiri, ex S. Literis & experientia certum est.

QUosdam illa quorundam Mercatorum felicitas, extra æquitatis limites abripit, & per consuetas negotiantium artes, seducit, quòd videant parum etiam probatæ vitæ florere homines, atque ad magnas opes, dignitatesque emergere. Non diffiteor, mul-

multos in hac vita improbos malis artibus eniti ad divitias, observari ab hominibus, æstimari felices; contraque nonnullos, etiam compertæ probitatis homines, cum paupertate luctari, neglectos, atque inglorios in mundo delitescere. Quæ res homini hinc abyssum divinæ bonitatis, inde justitiæ secreta perscrutanti mira videri non potest. Nam cum ipsius non patiatur benignitas, ut aliquod virtutis opus sine præmio; justitia, ut vitium sine pœna sit: Deus quorundam in hac vita muneratur virtutem, quibus in altera sempiternam decrevit pœnam: contraque aliorum in hac vita delicta plectit, quibus in altera æternum destinavit præmium: neque enim alia ratio superest, qua utriusque ex æquo satisfiat. Jam verò quis improborum inter divites est, qui non quibusdam niteat virtutibus; quis proborum inter inopes, qui non vitiis aliquibus inquinetur? illis igitur suum hac in vita largitur præmium, his pœnam infligit; severior Deus cùm sic parcit, quàm cum plectit. Consentientem hac in re mecum Chrysostomum reperio: & sanè dissentire nemo prudens poterit. *Fieri*, inquit ille, *non potest* in hac vita, ut malus sit ex omni parte malus, sed potest ipse quoque habere *aliqua bona; utque bonus*

sit

sit ex omni parte bonus, sed potest ipse haberè aliqua peccata. Vt ergo malus paucorum bonorum accepta hic remuneratione, illic deinde perfectè puniatur, ea de causa hic accipit: at ille est maximè beatus, qui hic punitur, ut omnibus depositis peccatis probatus hinc abeat. Audi igitur Abraham dicentem diviti: recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. *dicens* hic recepisti, *non autem* accepisti; *ostendit utrumque affectum pro debito, & illum cui fuerunt res secundæ, & illum cui adversæ.* Quocirca stultissima illorum hominum, non tam ratiocinatio, quàm deliratio est, qui cum divitum nonnullos, in sua vident improbitate, florentes, felicesque, arbitrantur Deum illorum favere actionibus, secundumque impietati successum largiri: non enim hoc fraudis artiumque malarum præmium, sed virtutis est. Rursum, cùm sibi æquis viis rationibusque ad opes enitenti, vident adversa sorte diffluere omnia, nihil ex voto atque exspectatione evenire: non hanc simplicitati æquitatique suæ fortunam imputent, scelerum merces est, ab illo profecta, qui *flagellat omnem filium, quem recipit.* Si saperes, cum Hipponensi orares Præsule, *Domine hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.* Malo cum Lazaro

hac in vita cruciari, & gaudere in altera, quàm hic cum divite gaudere, & in altera cruciari.

Quod si tamen tuis in hac divitiis adjectum volueris, subtrahe de vitiis, quò pauciora hæc fuerint, tantò liberalior Deus est futurus. Quare hoc ago, ut rectissimæ certissimæque ad opes viæ insistas, quando simul ad probitatem, simul ad artem cumulandi divitias instruo; cum Deus virtutem in hac vita, paupertate nunquam plexuisse compertus sit; neque ipsius aut bonitatis aut justitiæ opus sit, punire probitatem. Audi quam præclaram hac in causa tibi ex Psalmo Davidico lectionem recitaturus sim, illamque intimis animi sensibus demissam accipe. *Spera*, ait, a *in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum hereditabunt terram. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. Hereditas eorum in æternum erit: non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.* Attende, quanta de-

a *Psal.* 36.

ta demum asseveratione utriusque sortem, hinc justi, inde injusti stabiliat. *Iunior*, inquit, *fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen ejus quarens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros libani. Et transivi, & ecce non erat: & quasivi eum, & non est inventus locus ejus.* Quare sic denique concludit. *Custodi innocentiam, & vide, aquitatem. Salus enim justorum à Domino, & protector eorum est, in tempore tribulationis.* Qua ex lectione discere poteris illam etiam, siquæ sit, divitum opulentiam, felicitatemque momento sæpe evanescere, nihilque firmum securumque possidere. Poteris eodem ex loco illud regii vatis adjungere: *Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus, deficient.* Quid levius fumo? cum vento flammaque evanescit. Videas quandoque congestas in palatia improborum hominum gemmas, aurum, argentum, cimelia, purpuram, & quascunque, seu à natura, seu ab arte cumulatas opes: quando neglecta inter hæc scintilla cadit, moxque igne ad incendium surgente involvit, accendit, inflammat, consumit, incinerat omnia.

Ita in fumos momento abit, quidquid integro vix seculo collectum est. Paucis hisce annis, atq; etiamnum dum hæc scribo, quot collectas divitum opes, hinc inundantes per integras regiones aquæ, illinc nata diversis urbibus incendia, repentino casu sustulere? Hollandiam Prussiamque hoc anno magnis partibus inundarunt aquæ: Constantinopolim, aut, ut memorem viciniora, Aquisgranum, Dalenum, Gladbecam aliasque urbes, vel magna sui parte, vel integras hausere flammæ. Qui casus licet probos cum improbis perstrinxerit, sceleribus tamen hanc Dei offensionem provocatam, nemo facilè negabit. Omnium hic pertinaciter improborum exitus est: *quemadmodum fumus deficient.*

Hac veritate altius impressa, huc me verto, ut ab omni te fraude fallacia, ac mendacio, in negotiatione abducam, perque certam justitiæ viam ad augendas possessiones instruam. Quod si igitur ad veras cum virtute opes adspirabis, hæc tibi lex adamantino firmata proposito hæreat. *Nullum, quantumvis ingens, lucrum, vel minimo te scelere quæsitum velle.* Cui deinde ita erit insistendum, ut ab omni veritatis fuco, simulacione, mendacio, & quacunque fallendi pro-

ximum

ximum arte remotus maneas. Quam legem, si aliquamdiu constanter tenebis, illoque tuo candore innotesces pluribus, incredibile est, quantum mox emptorum, tibi conciliaturus sis, modò æquum rebus præfixum pretium, sine fuco aperias, ambiguamque licitandi curam vulgo adimas. Augustinum hac de re differentem paucis accipe. b *Sed ait mihi negotiator*, inquit, *si agitur de mendacio, de periurio, hoc vitium meum est, non negotiationis; neque enim non, si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergo culpam autor ad negotium transfero; sed si mentior, ego mentior, non negotium. Possem enim dicere; tantò emi, tantò vendam, si placet eme. Non enim istam veritatem audiens emptor repelleretur; & non omnes potius accurrerent? quia plus fidem, quam mercedem diligerent.* Possum illud mihi cognitis exemplis testari, atque inprimis illo, quod Aquisgrani in officina pannorum, aliis pares merces vendi-tantibus contigua, deprehendi. Homines illa habuit piæ devotioni addictos, jamque famâ æquitatis vulgatâ, tantam sibi conciliarant æstimationem, ut stipata per dies sæpe integros officina ementium numero affluerct, neque unus venditorum sufficeret.

b *In Psal. 70.*

ſed nunc duo, nunc tres iisdem deſervirent, brevique ad ingentes opes emerſerint, non tam lucro ſingulorum (quòd in partibus ſæpe exiguum) quàm multitudine ementium. Ab his propolis aliud nihil audiebatur, quàm quòd ad primam licitationem commune, quo paſſim res veniret, indicarent pretium: tum verò, ſi vel emptor conditione eſſet, tenuior; vel licitator inter amicos haberetur, cui aliquid indultum vellent, infimum eidem pretium indicabant, quo vel licebat mercem accipere, vel relinquere. Naturam quoque rerum venalium ita explicabant, ut omnes intelligerent, quid vel ineſſet virtutis, vel etiam vitii. Hinc aberant inſolentia mercis præconia, fallax plerumque expenſarum ſuarum expoſitio, mendacia ſine pretio venalia, jurata nequicquam fides. His enim cum merx ornari ſolet, emptorem magis quærit, quàm meretur. Minimum illic reperitur plerumque fidei, ubi, ſine exactore, tam ſollicitè illa præſtatur. Qui Apoſtoli monitum ſequuntur, & quorum verba ſunt *c eſt, eſt; non, non.* Hi ſunt quibus potiſſimum fidendum eſt. Optima merx eſt, quæ commendat ſemetipſam. Venditorum præconia, jure ſuſpecta ſunt, injurata illorum fides certiſſima eſt.

.Verùm

c Iac. 5, 12.

Verùm cum opposita consuetudo adeò passim invaluerit, & plerumque

Laudat venales, qui vult proponere, merces:

Metuendum ne parum hac in re disertus venditor bonis etiam mercibus existimationem detracturus sit; quod vitium formidari ab emptore possit; ubi virtus minus idoneè describitur. Fateor, proinde nolo ego propolam mutum timidúmue; sed paucis syncerisque rem verbis exponentem; abesse citra necessitatem volo, pretii abs se expositi mentionem, abesse fidem juramēto assertam. Quibus licet quandoque non fallat, plerumque tamen discrimen est, & suspectum se facit emptoribus: cùm leviter jurantium levis fides sit: paucisque asserta veritas facilè locum habitura sit. Juvat hic meminisse exempli duorum Coloniensium ad Rhenum civium ex Oeconomia catholica *d* Baptistæ de Gleen. Hos Parochus ab illa licentia mentiendi jurandique traductos huc impulerat, ut non nisi ad vendendum necessariis usi verbis, candidè simpliciterque qualis quæque merx, quodque ejus esset pretium exponerent. Hoc candore sibi primùm obstitere, dum inassueti homi-

d L. 7. c. 10.

nes, timidè laudatas merces, neque summo æstimatas pretio, gradatimque, multa licitatione, ad æqualitatem submissas, defugerunt. Unde primus his annus sterilis ex lucro fluxit. Querentes tamen, de illius consilii infelici successu, jussit durare in proposito Parochus, fore enim ut constantiæ minimè pœniteret. Et verò eventus sana suasisse docuit. Siquidem ubi vulgo cognosci illorum candor æquitasque in pretio rerum venalium cœpit: tam crebris officina emptoribus frequentata est, ut brevi magnis aucti opibus, non modò suam ipsi locupletarint sortem, verùm heredes post se, rara opum felicitate beatos, reliquerint.

Et certè ejusmodi solum homines inter Mercatores felices, ceteros omnes prorsus infelices arbitror. Nam cum Negotiantium plerorumque vita variis objecta periculis, curis anxia, laboribus molesta sit: si præter hæc omnia infernum denique suo labore mereantur, nunquid infelicissimi jure censendi sunt? At certum est, Mercatores omnes quotquot fraudibus, mendaciis, ac quibuscunque injustis lucris opes suas augent difficillimè inter alios peccatores, ad emendationem, ac salutem emergere: cum sine restitutionis remedio hæc nequeant obtineri.

brineri. Inter gravissima mortalium scelera, homicidia, adulteria, incestusque, atque id genus flagitia, censentur: sæpe tamen ista solâ expiantur pœnitentiâ, neque aliud post se onus trahunt; verùm quantumcunque Mercator de suis malis artibus doloris in animo concipiat; nisi ad restituendas opes malè partas manus admoveat, nisi se suosque hoc præsidio spoliet, expers manet salutis. Hanc verò ex æquo præstare, abire possessis, cedere magno opere collecta aliis, hæc enimverò res est, tantò gravior, quantò est rerum injustè quæsitarum possessio illustrior. Unde profligata plerumque talium est hominum conscientia, qui licet mendaciis leviculis, neque multùm exauctis rerũ pretiis, neque mensuris, aut ponderibus insigniter dolosis lucrum congerant; tamen quorum singula sua levitate non æstimantur, eorum universitas planè damnanda est. Hoc iniqua in minimis lucra habent, ad magnum, suâ multitudine, injustitiæ malum accrescunt; idque irremediabile, nisi malè partis abieris. Vetus & verissima lex est: ***Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.***

Labyrinthus quidam malorum est, injustè acquisita pecunia. Tuum non est, quod

possides, teneris suis restituere Dominis. At, quot illi sæpe, quamque diversi? qui tamen si, vel ignorentur, vel desint, in pauperes, aut causam piam vertendæ opes sunt, neque ullo se titulo iniquus possessor, nisi indigentiæ, potest ab hac restituendi obligatione subducere. Ipse tamen si moram hac in re fecerit, Deus injuriarum vindex non deerit, qui injustas nullibi opes consenescere patitur; quæ cum suis collectoribus *deficientes, quemadmodum fumus, deficient.* Quocirca, ut cautum magis omnibus hoc in lubrico Mercatoribus sit, atque hi inter illos censeri possint, quibus adeò certum Domini favorem pollicetur David, ut dicat, *senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*: paucis hic cavenda, faciendaque Mercatoribus præscribam: ne ad illos, qui hoc mare navigantibus occurrunt, fraudum scopulos inconsultò allidantur, ac pereant.

Primò horreat & aversetur Mercator omne mendacium: nam ex hoc fonte tota penè malorum illuvies negotiationem inundat, ut huic assuetus Mercator, nunquam à fraude atque injustitia futurus sit innocens. Rem magnam postulo, quam tamen hac in causâ me obtinere necesse est; neque diffi-

difficilè obsequentur, quicunque pericula, ab hoc crimine, sibi imminentia deprehendent. Furis nomen, multi ob turpitudinem execrantur. At tamen furem quandoque esse præstat, quàm mendacem. nam & mendax fur esse assolet; & præterea occultus insidiator. Vulgare dictum est. *Ostende mihi mendacem, & tibi furem ostendam*: aves hæ concolores sunt: simul volitant. Sed convincam te testimonio veritatis irrefragabilis ex Siracide. e *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis. perditionem autem ambo hereditabunt. Mores hominum, mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis, sine intermissione.* Mendaces, hac etiam in vita, sine honore sunt, imò ut D. Hieronymus f advertit, *hoc faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.* Augustinus de mendacio differens, nec illud quidem, ut alterius vitam tuearis, permittit, *quia*, inquit, *verbis apertissimis scriptum est*, os quod mentitur occidit animam: g *Quomodo ergo non perversissimè dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori?* Imò verò de eodem tradit alibi h nec quidem totius mundi lucro proposito, leve nobis menda-

e *Eccli 20.26.* f *Epist. 37. ad Iulian.* g *Sap. 1.11.* h *lib. 2. de mend.*

cium indultum esse. Terreat illos gravissima Davidis sententia: *i perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

Secundò iuramenta etiam in re vera (quis enim juramentum rei falsæ adjunctum non horreat?) cavenda sunt. Iterum hic Siracides bonus est monitor: *k Iurationi non adsuescat os tuum. Multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ipsius plaga.* Qui sic se ad Deum convertit, ab hoc Deus facilè avertitur. Jurare citra necessitatem ad perjurium est properare.

Tertiò in venditione emptioneque cavendum, ne dolo aliquo, plus venditor, quã ex pacto debitum extorqueat, aut emptor minus largiatur. Ut si ille rigoroso tradere pretio, hic infimo tantùm velit accipere, ideoque occulta compensatione utantur, cum venditor exempli gratia, minori pondere ac mensura; emptor rationibus, vel pecunia malè numeratâ, id assequitur. Quàmvis enim rigoroso merces pretio vẽdere, & infimo emere liceat; tamen cum de mode-

i *Psal. 5. 7.* k *Eccli. 23. 9.*

moderato conventum est, aut summi vel infimi pretii terminos scienter excesserunt, utrique erit parti acquiescendum. Integrum enim erat utrisque hoc pacto abstinere, & cuique retinere propria, & donasse censentur, cui ultro, cesserunt. Secus tamen habet, si per fraudem aut ignorantiam excessus factus sit. *l* Æstimatio verò rerum, ex adjunctis, ut penuriâ, vel copiâ mercium, emptorum ac venditorum affluxu, rursumque ex vendendi ratione peti solet. Quod enim sub hasta, in discessu, cumulatimque venditur, minori plerumque pretio traducitur. Contraque, quorum venditio emptióve lucrum cessans, aut damnum emergens connexum habet, potest rigorosi infimique etiam pretii terminos excedere. Et siquis adversus has leges manifestum, alterius avaritiâ aut fraude, detrimentum tulerit, occultâ compensatione, cum alia ratio deficit, damnum poterit instaurare. *m* Jus enim habet vendicandi sibi, quidquid suum esse, non dubiâ fide, compererit. Quin & altera partium ex conscientia ad restitutionem tenetur; & in foro cogi potest si ultra dimidium sit decepta. *n*

Quartò

l *Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 3. 6. &c.* *m* *Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. q. c. 5 n. Id. tr. 4. c. 17. n. 5.*

Quarto si quod vitium rerum vendendarum sit, ut furiosus equus, ovis morbida, pannus adustus, sericum putrescens, aurum argentumve corruptum, admonere emptorem aut venditorem tenetur, fraudis atque injuriæ futurus reus, nisi fecerit, alterque detrimentum patiatur. Quod si tamen uterque vitium ignoret, ad nihil in conscientia tenebitur, quamvis actione in foro conveniri possit, si damnum notabile inciderit: in damno exiguo, & quando vitium (ut oculi in equo cæcitas) notari poterat, non erit ad compensationem obligatus. Quanquam synceri negotiatoris sit, defectum quemvis pandere: aut certè in rebus, quæ possunt observari, monere emptorem, ut exploret, nequid vitii sua incuriâ prætereat, nolle se deinde exceptionem admittere, aut quicquam sibi damni imputari. *o* Cavendum verò negotiatori inprimis est, ne in quantitate fallat, iniqua rerum mensura ac pondere, neve in substantia rem aliam obtrudat pro alia. Priori ratione fallet, qui frumentum humidiori collocatum loco intumescere fecerit; posteriori qui compositum arte potum pro vino Hispanico, aut Gallicum Rhenano mixtum, hujus loco,

tra-

o *Lugo d.26 s.8 n.128 & Trul. c.20.d.11.*

tradiderit. p Fallet quoque, qui incertum, aut impotentis ad solvendum hominis debitum pro certo vendit. Quamvis spem suam de incerto vendere, at minoris liceat. q sic dubia credita, chirographa, stipendia militum, messis futura, anticipatâ solutione emi vendique poterit. Nec tenebitur ad restitutionem qui dimidio etiam minoris cõparavit. r Excusabitur à fraude, qui præscius imminuendi à rep. pretii, res suas præsenti pretio traducet: modò alios astu quopiam ad emendum non inducat. Utitur enim jure suo, non minus, quàm alter imminentis mutationis ignarus. ſ.

Quintò siquis rem alienam certo sibi pretio, ad vendendum emendúmve, commissam, aut ratione personarum sibi faventiũ, aut industriâ quadam suâ, vel carius vendat, vel emat vilius, excessum pretii, in accepto, aut retento ære, sibi poterit, sine injuria, vẽdicare. Hi enim censentur industriæ fructus: neque in his dominus rationabili potest esse de causa invitus. Si tamen indefinito tradiderit rem pretio vendendam emendàmve, sibi etiam hunc fructum reservasse censendus est. Nisi venditor signatè ad-

p *Dian.p.1.t.8.r.51.* q *Less.l.2.c.21.* r *Bonac.d,3.q 3.p,10.* ſ *Ib.q. 2.p.5.*

adjiciat; hanc, vel illam se pretii partem ementis gratiâ remittere. Vt sartoribus crebrius apud se ementibus propolæ nonnunquam faciunt. Modò, in explorato satis rerum pretio desit Mercatorum fallacia: aut dominus hunc sibi favorem non reservarit. *t*

Sextò ad injuriam in venditione cavendam, observet negotiator, quòd res empta, quamvis nondum tradita, si notæ determinatæque rei sit, ut equus, vini dolium, suo pereat emptori; si verò rei indeterminatæ, ut equus in prato aliquis, vel quodpiam ex vindemia dolium, suo res perit venditori, cum nullius definitæ rei jus translatum in emptorem fuerit. Quod si res eadem determinata duobus fuerit vendita, perit aut servatur primo emptori, vel cui primum tradita, vel prior solverit. Nisi fortè culpa ipsius venditoris intercidat, aliàs suo perit domino, quidquid perit. *u* Hæc pauca, ex Lessio, Laymanno, Lugo aliisque delibata, ad certiorem æquitatis viam in negotiatione tenendam, profutura sunt.

Postremò omnes verbis Domini compellabo. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere & mensura.*

Statera

t Lugo d. 26. s. 9. u Ib. s. 14.

Statera justa, & aequa sint pondera, justus modius aequusque sextarius. x Abominatur enim Dominus eum qui facit haec, & aversatur omnem injustitiam. y Ignis in domo impii thesauri iniquitatis. z Nam, ut ignis quaecunque in domo corripit, alimenta consumit, ac ipse denique in auram ventosque abit; sic congestus iniquè thesaurus, & alias justè quaesitas facultates evertit, & ipse demum, surgentis flammae instar, evanescit. Horum itaque infelicitatem Salomon, cum aliorum sorte, opes suas liberaliter dividentium componit. *a* & *alii*, inquit, *dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Quam paradoxa haec sunt, dividendo hominem acquirere, rapiendo amittere? Caveat igitur Mercator, ne aliena sibi vendicet, qui augeri vult mansuris opibus propria. Illa sunt vermis in ligno, tinea in panno, ignis in stramine, consumunt secum universa, ac praeter haec conscientiae quietem evertunt. Paucis haec Augustinus subjicit *b Nemo*, inquit, *injustum habet lucrum, sine justo damno, ubi lucrum ibi damnum; lucrum in arca, damnum in conscientia.* Verùm jure dixerit, damnum & in

x *Lev.* 19.35. y *Deut.* 25.16. z *Mach.* 6.10. a *Prov.* 11.24. b *de Temp. serm.* 215.

in arca, & in conſcientia. Et ſi hoc quidem ſolum eſſet, ab omni nos jure iniquitate deberet revocare. Hæc illius qui Evam decepit aſtutia eſt, pomi aurei pulchritudine, nos fallere. Sed caput ſerpentis nobis conculcandum eſt. *Quod*, ait idem Auguſtinus c *caput ſerpentis? prima peccati ſuggeſſit, magnum ibi lucrum eſt, magnum aurum eſt. Si hanc fraudem feceris dives eris. Caput ſerpentis eſt, calca. Quid hoc eſt, calca? contemne quod ſuggeſſit. Sed magnum aurum ſuggeſſit. Et quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum.*

CAPUT VIII.

An, & quomodo per uſuram facultates ſuas maximè augere liceat, & honeſtum ſit.

MUltorum in pecunia cum fœnore tractanda ſolers elucet ingenium. Ex uno illi numo alterum, fecundo æris partu, norunt elicere. De quorum nobis induſtria paucis eſt diſſerendum. Nam minimo hæc labore ars conſtare videtur. Si enim pecunia nobis pecuniam pariat; ut quid aratro, navibus, quadrigiſque manum admovemus

c *In pſal.* 103.

mus? De auro tantùm utiliter, collocando laboremus,& à mediocri facilè ad locupletem fortunam emergemus. Verùm,ut intra æquitatis limites hac arte progrediamur, inprimis videndum est. Nam malè parta facilè dilabuntur.

Usitata multis negotiatio est, quâ lucri gratia pecuniam transferunt. Ut cum census quispiam pecuniarius emitur,vel ob periculum quod mutuando incurritur,aut lucrum aliud,quod negligitur, plus quam expositum est pecuniarum recipitur. Verum hic usura humanis divinisque proscripta legibus diligenter cavenda est. Ne videlicet pecuniam,quæ apud te otiosa desidet,alteri illo consilio,aut pacto etiam, mutuam tradas,ut tibi supra sortem,e.g. quinque supra centena ipsi commodata,refundat. Charitatis humanæ legibus teneris proximo in necessitate, idque gratuitò subvenire, indignusque miseratione & convictu censetur hominum, qui cum extra suum damnum possit, indigenti proximo adesse gravatur: quòd humana societas sublata sit, nisi in mutuum homines auxilium manum porrigant. Unde quod natura sanxit, sua olim Deus lege firmavit, *a fratri*, inquit, *tuo abs-*

a *Deut.23.*

absque usura commodabis id quo indiget, ut benedicat tibi Dominus in omni opere tuo. Quæ lex etiamnum Judæis sancta est, inter suæ religionis homines, licet aliis ad usuram tribuant; Hoc enim existimant sibi cōcessum singulari privilegio, ut olim spoliare Ægyptum divina concessione licuit. Juxta ejusdem Deuteronomii legem, b *fœnerabis gentibus multis, & à nullo fœnus accipies.* At hoc tempore, prô dolor, multi Christianorum hac Judæorum lege utuntur; illam negligunt. Hos ad Christi scholam disciplinamque revocari necesse est, nisi & opibus injuriâ partis, & salute æterna velint excidere. *Si mutuum*, ait Christus, *dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* c Nullum igitur non modo lucrum, sed ne simile quidem, mutui aliquando erogandi beneficium suos expectare jubet; sed prorsus gratuitum vult esse Christus: ne peccatoribus, illud quoque præstantibus, Christiani meliores non simus. Lucrum igitur maximum futurum

b *Deut.* 28. v. 12. c *Luc.* 6. v. 34.

rum est, lucri illius neglectio, quia *erit merces vestra multa.*

Est verò in omni usura enormis quædam malitia. Quia cum vix ulli, nisi indigentiâ compulsi, pecuniam ab aliis mutuam desiderent, ut per hanc propriæ subveniant necessitati: prorsus inhumanum est, ab illo, qui alienis indiget, etiam propria, quæ sperare olim potest, adiumenta eripere. Hoc enim penè est, spoliare nudum, illique qui nil habet præsentis boni, hoc quoque eripere quod erit habiturus. Unde D. Ambrosius hac impietate expensa, inquit, d *Subvenire egenti humanum: duritiæ autem est, plus exigere, quàm dederis. Si enim egens auxilio eguit, quando non habuit de suo unde redderet; nonne impium est, si sub humanitatis simulatione, ab eo pascas, qui non habet unde reddat?* D. Basilius e quoque & suâ, & sacrarum literarum sententiâ hanc malitiam exaggerat. *Ezechiel,* f ait, *in maximis ponit malis fœnus, & plus quam sortem accipere, & lex illud luculenter prohibet, non fœneraberis fratri tuo & proximo tuo. Et rursus, ait, fœnus super fœnus, & dolus super dolum. Et de civitate in multitudine malorum deprehensa,*

d *lib.3.offic.c.3.* e *In Psal.14. hom.2.* f *Ezech.18.v.13.& 17.*

henſa, quid ait pſalmus? g *Et non defecit, de plateis ejus, uſura & dolus. Enimvero inhumanitas eſt maxima, ſi is, qui egeſtate premitur, mutuum ad vitæ ſubſidium quærat; dans verò minimè ſorte contentus, ex miſeri calamitate proventus, & opes ſibi excogitet.* Homines Ethnici, quibus illa Chriſtianæ miſericordiæ opera, tanto opere, quanto Chriſtus fecit commendata non fuêre, hujus flagitii atrocitatem abominati ſunt. Ciceronē de officiis diſſerentem audiamus h *Interrogatus*, ait, *Cato, quid in re domeſtica maximè expediret? reſpondit bene agrum colere: interrogatus iterum, quid fœnerari? reſpondit, quod occidere hominem. Non igitur aliter fœneratorem peccare cenſuit, quàm homicidam.* Quæ cauſa, cur Ariſtoteles in politicis ſuis i inſtitutionibus, uſuram quoque tanquam legibus naturæ repugnantem damnaverit. Non igitur immeritò Chryſoſtomus. k *Nil*, ait, *præſenti uſura turpius, nilque crudelius, cum prætextu miſerendi atque opem ferendi, majorem miſero foveam crudelitatis effoderit, ſpecie iuvandi atterens inopem, ac manum porrigendo dejiciens, & quaſi in portū ex tempeſtate ſuſcipiens, ſed improviſo turbine in*

multò

g *Pſ.54.* h *Lib.2.offic.* i *1.Pol.c.7.* k *In Matt.hom.5.*

multò magis crudele naufragium, velut inter scopulos & latentia saxa, demergens.

Quare in fœneratores, tanquam ab humano divinoque damnatos judicio, gravissimis decretis Ecclesia animadvertit; ut exhorrescere ad usuræ cogitationem meritò omnes boni cogantur, & indomitæ lucri cupiditati frenum injicere. 1. Enim usurarios, juris aut facti notitia cognitos, infames esse declarat; ideoque si Clericus sit, ad Ecclesiastica officia ac beneficia inhabilem atque irregularem. *l* 2. Eisdem legibus, titulo de usuris, ab altaris S. communione talis arcetur, ejusque oblationes Ecclesia rejicit, quin etiam sepulturâ communi interdicit, nisi restitutis usuris, pœnitenriam egeris *m* 3. Testamentum, & quævis alia usurarii manifesti voluntas, ultima ipso jure irrita est, nisi de restitutione prius idoneè sufficienterque cautum fuerit. *n*

Ad hanc tam gravem severamque Ecclesiæ censurã, quâ usurarios omnes perstringit, quis non perhorrescat, tamque abominandi criminis, etiam suspicionem solam, à se amoliatur. Verùm humana solertia, an dicam

l *c. infames 3. q. 7. & l. improbum fœnus c. ex quibus causis &c.* m *c. quia in omnibus.* n *c. quanquam, in 6. de usur.*

dicam malitia, cum ætate semper auctior, tot modò, ex traditis pecuniis, frumentis, aliisque rebus, quæ vel mutuò, vel anticipatò proximis, creduntur, titulos exigendi supra sortem, æstimationemque reperit, ut inter usuras maximas, nulla penè reperiatur, quæ non aliquem justitiæ colorem induerit, & sub pallio æquitatis tegat iniquitatem. Ita periculosæ opus aleæ tractant, qui mutuum petentibus, ea lege pecuniam offerunt, ut dicant se velle annuū emere censum e.g. 50. imperialium, dum mille exhibent, simulque jus sibi capitalem summam repetendi, censu renuntiato vendicant. Quid enim hi aliud agunt, quàm qui ex mutuo lucrum postulant, nisi quod solâ fictione tituli discrepent? certè in Pontificiis cōstitut. Martini V. & Calixti III. Vti & Caroli V. Imp. ejusmodi contractus usurarius habetur, quo census redimendi facultas emptori conceditur: quod discriminis semper plenus, si iniquitatem non foveat, ab ea certè haud procul absit. Si verò soli venditori facultas redimendi, census, cum libet, manserit, major apparet æquitas; quòd alter cum pecunia jus omne repetendi amiserit, censûque teneatur cedere, cùm visum

est

est alteri. *o* Manifestior quoque usuræ iniquitas est, cum emptor vini e.g. aut frumentorum, indigis vinitoribus agricolisque anticipatâ solutione prosoluens, minoris solitò rem comparat: aut cum venditor, ob dilatam solutionem, majori suas merces pretio traducit. nisi enim cessantis lucri gratiâ, aut damni emergentis interveniat ratio, palliatæ tantùm usuræ specie horum contractuum iniquitas obvelatur, *p* sed divinos non fallet oculos, autorem non locupletabit. Nescech, id est morsus Hebræis usura appellatur. Mordet, ut coluber, venenumque per totum facultatum corpus spargit. De quo eleganter Chrysostomus, aut siquis alius operis imperfecti autor est, in Matthæum. *q Similis*, ait, *pecunia usurarii est aspidis morsui. Sicut enim, qui ab aspide percutitur, quasi delectatus in somnum vadit, & sic per suavitatem soporis moritur; sic & qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit, sic usura per totas facultates discurrit, & convertit eas in debitum.*

Verùm multi dicent: Unde vivam, nisi

o *Vide Laym. l.3.t.4.c.18.* p *Ibid. c.16. n.5.* q *hom. 12. c.5.*

ex pecunia, quæ modica mihi suppetit, fœnus colligam? Augustinus his responsurus est. *Audent*, inquit r *fœneratores dicere: non habeo aliud, unde vivam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi & leno diceret emens puellas ad prostitutionem; hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quidquid tale probibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, unde viverent, quia inde se pascerent. Quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est; quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigant: & inde se pascere volunt, unde offendunt eum, à quo omnes pascuntur.*

Quod si qui tamen impensius usurâ delectentur, quàm ut ab illa omnino avelli queant, neque absque fœnore de pecuniis collecto, se vitæ suæ necessitatibus consulere posse existiment: Sapientissimus hos Salomon ad optimum fœnoris genus instructurus est, *Fœneratur*, ait, *Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* ſ Ipse Christus docebit, *Date mutuum nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa* t Quibus nescio promissis, quid non solum disertius, verùm etiam certius dari

r *In psa'*. 128. ſ *Prov. 19. v. 17.* t *Luc. 6.*

dari possit. Difficilis fateor ad persuadendum oratio est, quâ liberalitatem in donando suademus. Certa largiri, ut incerta assequaris (ita enim perperam sentimus) hoc opus, hic labor est. Pauci quos Diva sic amat Liberalitas. Et tamen fœnus aut usura nulla honestior, nulla fructuosior, quàm largiri sub cautione aliqua, mutuum sine usura, pauperibus; quod ego inter liberalissimũ quæstuosissimũque eleemosynæ genus esse censeo, de quo S. Leo loqui videtur. *Non potest*, inquit, u *largitatu deesse materies, ubi Christus, & pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa intervenit manus, qua panem frangendo multiplicat. Securus & hilarus sit eleemosynæ distributor, quia tunc maximè lucrum habebit, quando sibi minimum reservaverit.* Suffragatur huic sancto Pontifici D. Ambrosius. x *Fœnerare*, ait, *Christo, bonus depositæ spei custos, multiplicatû fidei tuæ talentum solvet usura. Non fallit veritas, non circumscribit iustitia, non decipit virtus.* Hoc est quocunque teipsum verteris, sive ad Deum, sive ad homines promissâ usura falli non poteris. Nam qui hanc promisit ipsa est veritas; quo mereris, virtus est: obligatio quâ Deus ad solvendum tenetur,

u *Ser. 10. de quadrag.* x *Lib. 1. de Virg.*

netur, justitia quædam est, per quam reddit unicuique, quod vi promissionis debet. Nullæ vnquam fœneratorum usuræ tam certa solutione penduntur. Multi hominū, vel necessitate, vel scelere fidem promissam fallunt; Deus neque indigentia rerum premitur, neque vllius sceleris cupiditate tangitur. Tam illi præstare fidem promptum est, quàm polliceri. Solum proprio homines flagitio excidere poterunt, quod tamen adeò rarum est, ut Deus ad flagitia mortalium facilius dissimulet, quàm sua promissione deficiat, ac sceleratis nonnunquam rependat, ne datæ ipse fidei neglector arguatur. Dignum memoria est, quod hac in causa refert Sophronius *y* Homo ethnicus, in vrbe Nisibe, tenuioris sortis erat, qui cum 50. nummos aureos collegisset, quos fœnori locaturus esset. Uxor Christiana, ut ab hoc consilio virum averteret, ait locupletissimum ex tantilla pecunia fœnus colligi posse, si in Christi honorem pauperibus vtendam pecuniam distribueret: hunc enim liberalem promisisse sibi impensarum remunerationem. Vir igitur hac spe illectus in pauperes nummos expendit. Labitur tēpus: diesque, quâ usuræ potuissent exigi, tran-

y Prati Spirit. c. 185.

transit: neque tamen quicquam sperati fœnoris refunditur; Quærit queriturque apud conjugem maritus, quæ mœstum anxiumque solata ad templum commeare jubet, ubi prius eleemosynas erogarat. Verùm illuc cum venisset, nemo præter indigentes sese illi offert, ad accipiendum prompti omnes, nec quisquam ad donandum. Ad Christum igitur conversus, promissum exigit, tandemque velut desperata re domum se recepturus, nummum in via aureum, illis quos expenderat similem, reperit: quo in penuria rei familiaris panem piscemque coemit. Hoc eviscerato, lapillus in illo deprehenditur miræ pulchritudinis, quem vir à muliere acceptum, ad Lithopolam defert. Hic principio quinque aureos pro gēma offert: ad quod cum admirans hæreret venditor, alter vilitatem oblati pretii eum despicere ratus, mox decem, ac deinde viginti, postremò & quadraginta obtulit. Itaque cum seriò hæc agi observaret venditor, eja, inquit, tantum pende, quantum ex æquo bonoque æstimandum nosti. Qua re æquitatis Lithopola admonitus, trecentos illi aureos numeravit. Unde lætus insperato eventu civis, tamque certa ac liberali Christi promissione motus, quàm indignus

mercedem tulerat, ipsius deinde fidem amplexus, digniori vita & cultu promereri conatus est.

Christus licet promissa nonnunquam differat, ad probandam fidei nostræ speique constantiam, nunquam tamen fallit. *Cælũ,* inquit, *& terra transibunt; verba autem mea non interibunt.* Differentem hac de re D. Ambrosium volupe erit auscultasse. *Docebo,* inquit. z *quomodo boni fœneratores esse possitu, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon. Fœnerat Domino, qui miseretur pauperis, secundum autem datum ejus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est: Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo iam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem vobis subtraham debitorem? Deum provideo, Christum surrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit.* Jam verò magna ejusmodi fœneratorum, & hujus & futuræ vitæ felicitas est. Augustinum hic præ meis audiri verbis malim. *Quid inquis facio* (sic loquitur) *ut sim utilis fœnerator? attende quid facit fœnerator. Minus vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quam latè crescat fœnus tuum: da temporalia, accipe*

z *De Tob. l.* 1. *c.* 16. a *In psal.* 33.

cipe æterna; da terram, accipe cœlum. Et Chrysostomum aurea eloquentiâ suffragãtem non aspernaberis b. *Quid*, ait, *ita pauper & egenus es, ita pusillanimus, ut parvo magna, & caducis pecuniis liberalitatem vendas, cùm possis æterno regno vendere? cur omisso Deo, humano lucro sollicitaris? cur divitem transcurristi, & pauperi adhæres? reliquisti eum qui reddere potest, & ingrato atque inopi loqueris. Ille restituere desiderat, hic non reddit nisi coactus: hic vix centesimam partem, ille centuplum, & vitam æternam: hic conviciis ac contumeliis, ille singulari ac præcipua laude: hic invidiam multorum in te suscitat, ille immarcessibiles tibi coronas nectit: hic deinde vix in hac vita, ille tam in hac vita, quàm futura. Putasne igitur extremæ non esse amentiæ sic lucrari?* Hæc quisquis, ut par est, expenderit, certiorem, totque firmatam testimoniis exemplisque viam, non aversabitur.

Nolim tamen hac mea Sanctorumque Patrum oratione licitam, sine iniquo fœnore, lucri ex adjunctis mutui, rationem excludere. Cum videlicet pecuniâ, tibi ad negotiationem, vel vsum alium paratâ, in gratiam proximi, cum tuo cedis incommodo,

 sive

b *hom. 51. in Matth.*

five luceri illud cessantis sit, sive damni emergentis vel cum tali illam credis, qui vel fortuna, vel fide vacillante, periculo amittendæ pecuniæ te exponat. Hoc enim periculi suscepti onere transmissæ per cambiū pecuniæ cum auctario refunduntur: hoc etiam venditi census, & mutuantium fructus ex pignore, quamvis redimibiles, justificantur; cùm ementi pereant. Universè quotiescunque onus aliquod pretio æstimabile, cum mutuo jungetur, illius ratio haberi, citra usuræ culpam, poterit. *c* Neque enim, aut conscientia, aut Deus, ita nos proximo subvenire voluit (nisi extrema necessitate affligatur) ut justa lucra negligamus, detrimenta immeritò subeamus, onus aut periculum gratuito sustineamus. Hæc igitur vbi occurrerint, in necessitate præsertim, quisque sibi futurus est proximus. Quæ monere placuit, ut quo quisque jure vti possit, intelligat, terminosque discat,

Quos ultrà citraque nequit consistere rectum.

Ab usura itaque liberi erunt, quotquot pecunias, quas vel negotiationi, vel prædiis ædificiisque, aut alteri cuicunque rei sibi utili impendere decreverant, hos mutuò ad lucrum erogent, aut ad censum, etiam utrim-

c *Laym, l. 3, t. 4. c. 16. & 18.*

utrimque redimibilem, coemendum impendant: secus verò si otiosam domi pecuniam, neque alteri destinatam officio, ad hoc lucrum, sine periculo aut onere suo, convertant. Illic enim justus lucri titulus, hic nullus est. Sola pecunia, aut frumentum, vel quidquid mutuò transferri potest, cùm domi non prodesset, foris non potest fructificare, quòd in alterius dominium translatum sit, cui vel perit, vel servatur, periculo simul usuque ad novum Dominũ translato: qui tantundem, quantum accepit, tenetur, pacto tempore, refundere: aut si non præstet, damnum hinc emergens, supra acceptam sortem, mutuanti compensare. Licebit igitur, cum de fide accipientis ambigitur, hac lege pacisci, ut si tempori non refundatur, ultra sortem teneatur repẽdere. Verùm pacisci, citra causam, de beneficio vicissim præstando, aut re meliori (quale novum pro veteri esse frumentum queat) exhibenda, iniquum, & usurarium est, uti etiam iniquum est, in frumento aut vino invitis restituere, quòd in ære parato accepisti. Quocirca omnes, suæ salutis amãtes moneo: cavendum esse, ne titulos, lucrandi cupiditate, fingant potius, quàm inveniant, seque magis fallant, quàm alios,

dum nunquam Dei oculos manumque vindicem subterfugiunt: qui tam improbè quæsita lucra impunè non sustinebit. Non jàm agam de anatocismo, sive usurarum usuris, quando in pactum diducitur, ut usuræ non solutæ adnumerentur sorti, fœnorisque incrementum faciant. Hic enim matris improbæ longè improbissimus partus est, qui jus omne humanum divinumque violat. Uno postremum fœneratores omnes exemplo ad æquitatem, & honestum, dignumque homine lucrum invitabo.

Thomas Cantipratanus e sui temporis historiam refert, de religiosissimo Abbate Villariensi in Brabantia. Usurarius magni nominis Namurci diem clauserat extremũ, quando ingens ab illo pecunia, fortè mille sexcentarũ librarum delata in monasteriũ, ad possessiones monasterii locupletandas conversa est; sed electus recèns Abbas non ignorans malè ab usurario partes opes, eas collecto rursum ære, Namurcum remisit, vt in spoliatos injustè cives distribuerentur. Sed remissæ ad monasterium pecuniæ à magistratu sunt, ob implicatum restitutionis negotium. Verùm Abbas recusans admittere, ad medium referri forum pecunias jubet,

e Lib. 2. de univers. c. 26. p. 5.

jubet, civibusque nunciari, hoc illorum esse, non suum argentum, & ut quisque sibi ab usurario spoliatus vendicet, quod proprium est. Quo æquitatis exemplo commoti cives, & Abbati bene precati, per delectos viros indigis, injuriamque perpessis æs omne distribuerunt. Monasterium autem brevi tempore adeò luculentis opibus locupletatum est, ut cōstaret decuplo remissam ab Archimandrita pecuniam auctam esse, maximumque fuisse fœnus, tā improbum fœnus damnasse, Repetam cum D. Ambrosio concludamque : *Ecce bonum fœnus de malo factum est, ecce irreprehensibilis fœnerator. Vade, & fac similiter.*

CAPUT IX.

Aurumne arte aliquâ humana produci, opesque hac via magno lucro augeri possint?

EXspectabunt fortè nonnulli, ut cum de auro Sapientum instituta nobis dissertatio est, artem hic Chymicam auri conficiendi tradam, Hæc enim via, & facillima, & minimè sumptuosa ad opes parandas videtur. Quisquis enim possederit aurum, hic cetera omnia, ad mortalium in hac vita felicitatem spectantia, possidere, non immeritò existimatur; cùm auro licitemur universa.

Magna vis Auri: quod si Venusino vati credimus,

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Lib. 3 Od. 16.

Fulmen tantùm prosternit corpora, aurum etiam animos Nihil inter metalla illustrius natura parit. Ut si artis humanæ ingenium ad conficiendum elevari possit, magnum divinæ potentiæ opus æmulari existimandum sit.

Verùm si quod ego auri conficiendi secretum hac in arte possideam, jure ambigam, an vulgo illud arcanum prodendum sit? Plus enim me ad utilitatem proximi contulisse momenti credam, si aliquid de auri cupiditate detraxero, quàm ambiguis augendi rationibus adjecero. Ejusdem Vatis monitum est.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Quia tamen hac de arte etiam differentem audire est volupe, pauca quæ de illa accepi communicare non gravabor, ac fortasse ad illius quoque conficiendi rationem optimam securissimamque conferre aliquid potero.

Multi aurum tale esse naturæ opus censent,

ſent, quod arte nulla imitabile ſit. Licet enim quædam egregia artis ſint opera, quæ naturæ quodammodo ingenium præſtantiâ & dignitate ſuperent; ut palatia manibus hominum fabrefacta, inſtrumenta muſica, machinæ bellicæ, horologia, naves, atque ejusdem generis opera: tamen in his natura arti ſubvenit, neque ſubſtantiæ rerum mutantur, ſed caducam tantum induunt ab arte formam. Verùm ſi metalla cetera hydrargyro confuſa, lentoque excocta igne, auri naturam ſubirent, ſubſtantiarum utique intercederet mutatio: tantò magis admiranda, quòd ignobilior nobilioris naturam ſumeret. Nam quid obſecro hydrargyrum, metallorum quædam ſpuma & excrementum peſtilens, cum auro argentove ſimile poſſidet? Verum quidem eſt, quòd ſolum aurum ſuſcipiatur ab hydrargyro, velut in ſinu complexuque fovendum. Ideoque ad ſociandum argento aliisque metallis, in deauratione conſueta, aurum, illius ſæpe uſus neceſſarius ſit. tamen hic auri appetitus hydrargyrum non magis ad naturæ ſimilitudinem provehit, quàm vulpem cum gallina, Lupum cum ove conjungit eorundem appetentia. Certè ubi ad ignem ſic inaurata adhibentur (in quo potiſſimum probatur

aurum) diffluit ac evanescit hydrargyrum, auri decus illucessit. Unde ingens utriusque discrimen manifestum est. Neque aliud è fornaculis Chymistarum exspectandum, quàm ut hydrargyrum pestilens sensim in fumum resolvatur, sibi incubantibus alchymystis vitam breviet, nihilque præter colorem aliquem, ab affuso simul auro perfusoque metallis ceteris relinquat, quidquid denique hi coctores, decoctoresque rerum suarum, splendidè somnient.

Sed exemplis se existimant probare posse, quòd ars naturæ opera suo possit studio assequi. Cùm non minus ex gallinarum ovis pulli in calidis fornacibus, quàm à gallinis incubantibus excludantur. Addam ego, & homines repertos esse, qui ovis sub axilla fotis gallos denique gallinaceos excluserint. At parum hoc argumento vincitur, quando aliud nihil ex ovo producitur, quàm quod in semine continet, ac nec anser quidem ex gallinaceo anserem queat procreare, quantumvis suo ovum calore recludat. Quis igitur speret igniū terrestrium vi, quod igne cœlesti, vix uno excoquitur aurum seculo, aliquot mensium, vel etiam annorum spatio satis excoquendum: ut naturam jam non sequi tantùm, verùm & excellere ars longè videatur,

Et

Et sanè licet in quibusdam ars naturæ accederet, nulla tamen ratio persuadet, in re tali, quam Deus raram pretiosamque adeò esse voluit, ut aurum argentumque est, hanc arti facultatem indulsisse, ut suo ingenio assequeretur homo, quòd inter rarissima ipse naturæ opera excitare voluit. Quin & evertere una manu in hominum societate alenda videretur, quod ad hanc fovendam altera manu excitatum est. Nam si aurum arte esset parabile: omnis hominum, magnis lucris inhiantium, opera, ad hanc artem discendam occupandamque verteretur: ac denique sua aurum copiâ vilesceret, & rarius quicquam pretiosiusque in communem mercimoniorum usum traducendum esset. Jam verò, cùm in pretio atque æstimatione rarioris æris, hoc velut negotiationis fundamentum, animamque ejus præcipuam Deus constitutam voluerit: Frustra huc mortalium industria vertitur, & arte occupare nititur, quòd natura, velut ex semine fructum, jussa est, opportuno tempore locoque, progenerare.

Verùm quod nonnulli artificum huc suâ pertingere industriâ visi quibusdam sint, ac secreta artis via ad auri conficiendi rationem pertigisse, hoc multorum studia ad insaniam usque

usque accendit. Ejus nobis rei Bodinus a in facto Sociorum Guilielmi Constantini peritissimi apud Gallos Chymici, testis esse potest. Illi enim, cùm longa metallorum excoctione, temporis, laboris, rerumque impendio nihil ad auri confectionem profecissent, denique ad detestandum facinus conversi, Diabolum in consilium accersivere. Nec tam fidis sibi clientibus vafer artifex defuit. Sub specie elegantis Nymphæ coram ille animarum insidiator apparuit, jussitque illos ex sex metallis liquefactis, affuso hydrargyro, malagma conficere. quod philosophici, ut vocant, lapidis materies futura esset. Sed hydrargyrum, seu Mercurius affusus, postquam ingenti sonitu metalla disjecisset, ipsosque artifices in fugam verteret, Dæmonem, cachinno ferunt edito, attonitos hoc rursum erexisse dicto, *strenuè laborate.* Qui Dæmonis hortatu, tam pertinaci labore aurum sunt consectati; ut cum omnes huc opes nequicquam contulissent: Paupertatis deinde remedium ab alio labore petere coacti sint.

Quid? quod non minus illi, qui auri conficiendi rationem invenisse se gloriati sunt, quàm qui ea se exspectatione excidisse fassi,

ad

a *Lib. 3. Dæmon. cap. 3.*

ad extremam inopiam redacti inveniantur. Joannes Aurelius Augurellus auri conficiēdi rationem abs se repertam usurpatamque Virgiliano carmine decantavit, sed ipse quantum fidei emolumentique huic inesset, abunde testatus est, quando moriens in egestate decessit. Cajus Caligula auri cupidissimus, cum ex auripigmento, quod in Syria fodiebatur, aurum excellens quidem specie, ut refert Plinius *b* at pondere tam exili confecisset, ut impensæ fructum excederent, destitit. Nimirum tam felix horum artificum vix quisquam repertus est, qui in Chymicos foculos plus auri non insumpserit, quam eduxerit. Cùm qui aurum hinc probatum eruunt, illud antè, vix minori quantitate comminutum in pulveres, huic quàm excoquunt massæ aspergant. Hac arte Ernestus Marchio Badensis, si *Hieronymo Medero in Acroamatis* credimus, delusus est. Aderat illi Chymista suæ artis venditator, jamque apparatu metallorum affusique mercurii prævio, magnam Duci spem fecerat. Constitutis omnibus, quæ Dux alterius directione adornabat, unus, inquit pulvis, qui voce Arabica *Res* dicitur, nos deficit, sed ex pharmacopolæo quovis, aut circumforaneo

b *Hist. nat. l. 33. c. 4.*

raneo haberi poterit. Ergo famulus à Duce missus, qui pro aliquot sestertiis hunc pulverem emeret. incurrit ille in circumforaneum haud procul arce, quem Chymista socius personatum agebat, ille rogatus de pulvere *Res*, pro nummis paucis bonam ejus quantitatem offert. Ex auro hic erat in pulveres comminuto: accipit Dux, & partem illius, ut monebat fraudis artifex, massæ aspergit, quæ cum educta, verum auri pondus speciemque ostentaret, Dux velut insigni arcano lætus, Chymistam bene muneratum dimisit. Atque ad Chrysopœiam reversus, alteroque lætus ex pulveribus aspersis successu, cùm deinde pro simili pulvere ad officinas diversas famulum nequicquam dimitteret, res suas se per impostorē amisisse postremò deprehendit. Pari arte an. 1519. Venetus quidam alchymista Bragadinus Ducem Bavariæ aggressus est, c postquam alios hac fraude captasset. Sed Dux imposturâ cognitâ, hominem splendido comitatu apparatuque incedentem, teneri in vinculis, atque ex equuleo causam dicere jussit. Hunc tamen reo honorem habuit, quòd ex ferreo patibulo inaurato suspenderit, postquam ex auri ramentis pulveribus

c *Guarinonius* in Greuel der Welt.

veribusque carbonibus immixtis, se ita illusisse curioso cupidoque orbi fassus esset.

Nec videtur dubitandum, quin Antonius Tarvisinus, quem Cardanus meminit, *d* in Venetorum procerum consessu aurum repentè ex Mercurio produxisse, hoc pulvere usus sit; cùm sibi idem à Gallo hospite talem honorarii loco pulverem oblatum fateatur. De Raimundo Lullio, quem in arce Londinensi circa an. 1400. probatum Regi aurum hâc arte exhibuisse memorant, idem meritò existimabis.

Ceterùm longa excoctione aliorum metallorum, se mercurio, auri, vel argenti seminibus asperso, denique aurum argentumve minus probatum, lento longoque igne posse excoqui, quorundam experientia videtur evincere. Verùm expensæ plerumque lucrum vincunt, neque auri argentive ex natura laborati proprietates omnes assequitur, vim durationemque non æquat. Quare postquam Martinus Delrio *e* contra alios statuisset, aurum arte produci posse, tamen à communi mercimoniorum & medicinæ illud usu proscribit. *Lucrum*, inquit, *ex hac arte illicitum est: non enim licet hoc*

auro,

d *Lib. de Metallis.*
e *Lib. 1. disq. Mag. c. 5.*

auro uti ad commercia contractusque &c. Nam aurũ istud, nunquam habet proprietates omnes veri auri: vel id adeò contingit raró, ut censendũsit non contingere. Non licet etiam id facere, ut in medicamentis quis eo utatur: nam propter rationem memoratam, nec veri auri vires salutares habere, nec noxiis qualitatibus ab igne carbonario, & venenato hydrargyro contractu, carere censendum est.

Denique, non facilè cuiquam hujus artis tractationẽ suaserim, nisi fortè opulẽti sint sint proceres, qui neque temporis, neque opum jacturam æstimantes, alchymiæ, citra cupiditatẽ se impendant. Quod hæc quædã insidiarum officina sit, in qua Dæmon sua adversus hominem arma procudat, à sacris rebus mentem abstrahat, ad spem temporalem, lucrumque, studio plerumque immoderato, convertat. Hic illud Christi inprimis locum habet. *non potestis Deo servire & Mammonæ.* Postremò quicunque hoc negotium tractant, valetudinis ac vitæ detrimenta non exigua patiuntur, in capitis vertiginem & stuporem mentis non raro præcipitantur. Cùm pestilens ille sit, ex hydrargyro, & carbonibus fumus; qui vix potest satis caveri. ut nobis aurifabri, vel suo

colore

colore testes esse poterunt, si crebro hanc materiem pertractent.

Vides igitur, amice Lector in hac arte nihil præsidii ad opes cumulandas, verasque divitias obtinendas esse. Et nec ex universa quidem alchymistarum historia, exemplum beati ex hoc artificio hominis depromi solere. Adeò importunè aurum sectantibus Deus omnia adversari voluit: ut sapiens *beatum* hunc dicat, *qui post aurum non abiit.* Aurum nemo facilius obtinuit, quàm qui didicit pro Deo contemnere.

Aliam ego longè certiorem auri conficiendi rationem cuilibet præscripsero, quam duobus verbis Græci sapientes complexi videntur ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine & abstine*, Labores vigiliasque tuo in statu ac munere, in quo te Deus collocavit, constanter *sustine*, & certus esto, si tuo non defueris operi, Deus provida liberalitate non deerit; opes colliges. Ager cultus suam dabit messem, vitis bene curata locupletem vindemiam, negotiatio strenuè tractata suum lucrum, advocatio diligenter obita suum successum, administratio nō neglecta pingue stipendium, respublica studiosè defensa opulentum tributum. Tantum agendo patiendoque, quidquid molestiarum in hoc munere est, fortiter

ter *sustine*. Proposita tibi laboris ac patientiæ opulentissima mercede. *Si*, inquit D. Augustinus de S. Stephano *f te aliquis homo dives in hoc seculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires, quas ei dignitates impenderes? Servitia durissima, & turpissima sustineres convitia, ut ad caducam & fragilem hereditatem ipsius pervenires.* Non alia ad opes via inceditur, sive temporales illæ sint, sive æternæ, *sustinendum est.* qui nil patitur, nil obtinebit.

Alia multò etiam facilior auri cumulandi est ratio: *abstine*. Cum immoderato alios luxu sua videbis profundere, *abstine*: cum insolenti habitu corpus prodigè pretioséq; colere, *abstine*: cum frequenti convivarum strepitu opplere domum & triclinia, vino ciboque profusius explere mensas, & stomachum obruere, *abstine*: cum in amplam splendidamque familiam, in servorum comitatum, equorum, rhedarumque apparatum, multa, ad ostentationem magis, quàm necessitatem insumere; *abstine*: His aliisque si dignam viro prudenti moderationem adhibueris, intraque conditionis tuæ metas, nec contracta nimium manu, nec aperta nimium versaberis; intelliges te optimas conficiendi

f *Sermon. 5.*

ficiendi auri rationes esse assecutum.

Exemplis in re notissima omniumque oculis exposita utendum non existimo. Suã quisque ætatem, quam aliquantò provectior inspexit, consulat, aut majoribus natu in Rep. ubi versatur discat, quot quamque repentinas sæpe unius seculi familiarum revolutiones intueatur: quæ, vel ex humili sorte ad egregias opes splendoremq; emergant; vel ex primæ sortis hominibus ad tenuem fortunam, neglectumque sui nominis recidant: & animadvertet, hos in otio immoderatoque luxu, tanquam in lubrico incedentes corruisse: illos per castigatæ, laboriosæque vitæ gradus ad summa enixos, felicitatem hanc occupasse. Quorum fortè nepotes mollius enutriti, quique citra laborem in tam locupletis fortunæ sinum veniunt, inertiâ ac profusione rursum amittent, quidquid majorum studio ac parsimonia collectum est. Nam experti id sæpe didicimus. *Heroum filii noxa.* Quod observare parentes illos velim, qui magis de cumulandis opibus, quàm filiis, extra otium luxumque, seriò ad laborem bonasque artes excolẽdis soliciti, plus una manu destruunt, quàm ædificent altera: cum instructam magis hereditatem, quàm heredem esse cupiũt: domum-

dissimili ingenio mulier Itala, ex vico Montagnano rustica Berthæ Henrici IV. Imperat. conjugi, honoris gratia, filum pollice eruditio subtilissimè ductum obtulit, quod munerata Imperatrix, tantum illi terrarum obtulit, quantum oblatis sibi filis posset circumdari. Res dictu mira, uno illo filiorum glomere, tam amplas complexa possessiones est; ut ex agresti villa ad patriciorum opes translata, illustrem de Montagno Patavinorum excitarit familiam. *h* En quantilla ex re, liberali ingenio Reginæ impensa, quantum auri opumque collectum est!

Nescio an assequaris, quæ ex horum imitatione argumenta de te ditando ducturus sim. Neque enim hoc tantùm suadebo, ut si tenuis fortunæ es, erga magnæ fortunæ proceres liberali ingenio manuque sis; ut qui se, nisi vilis sint animi, donis vinci non facilè patientur: Verùm etiam, ac multò maximè, ut cum Deo autore bonorum omnium liberalitate quadam incipias, aut pergas contendere: ita enim rebus tuis quàm optimè consulturus es, quæque forte exili complecteris, amplissimis brevi opibus augebis.

Mœcenas in Virgilium paucorum ver-

O suum

h *Bern, Scard. l. 3. hist.*

suum oblatorum gratiâ sestertia effudit sex mille. Qui M. Antonio Imperatori poëma dedicavit de piscibus, aureum pro versibus singulis nummum reportavit. i Rusticus Ludovico 12 ex Duce Aurelianensi ad regnum evecto, rapam unam (quarũ antè pastu in venatione delectatum noverat) observantiæ gratia detulit, & mille pro hac aureos recepit. An verò existimas Deum minus tua liberalitate capi, quàm generosi animi homines posse, qui turpe sibi ducunt largitione, præsertim ab inferioris sortis homine vinci?

Hoc profectò artificium nobile est, repentè sæpè, ditescendi. Chymicorum illud inprimis votum est, ut cum parum in auri sperati massam effundunt, plurimum inde extrahant, utque labore exiguo, magnum fructum colligant. hoc quisquis erga Deum liberalis est, assequitur.

Quanto, ait Augustinus *k labore digna est requies, quæ non habet finem? si verum vis comparare & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est; sed noli timere, misericors est Deus &c. Ecce quantum pretium damus: quodammodo unam siliquam ad accipiendum thesauros sempiternos.* Et alibi *l Quid tam vile, quid tam terrenum*

i *volater. l. 17. antroph.* f *In Psal. 93.* *In psal 49.*

num, quàm frangere panem esurienti? tanti valet regnum cœlorum. Scriptum est enim, Possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim & dedistis mihi panem. Emit vidua duobus minutis: Emit Petrus relinquens retia. Quam profusa remuneratio oblatæ etiam in calice frigidæ à Christo promittitur m *Quicunque*, ait, *potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli. amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Animadvertis hujus chymicæ artificium, quemadmodum ab illa ad ingens pretium traducantur omnia. Vnus haustus aquæ frigidæ indigenti oblatus, *fiet illi fons aquæ salientis in vitam æternam* n At, o Deus, qualis vitæ! ubi inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos o Leo orientis imperiũ meritus est, quod hominis cæci, in magna siti misertus, aquam solicitè vestigatam repertamque obtulerit, nam lapsa cælitus post hoc factum voce imperator salutatus est, & haud multò post, Marciano mortuo, à senatu renuntiatus, à Patriarcha Anatolio coronatus est p Hæc, quisquis audis, quisquis sequeris, quid à Deo sperare non audeas, qui in altera nobis vita illa *preparavit, quæ*

m *Mat.* 10. n *Ioan.* 4. *v.* 14. o *Psal* 35. p *Niceph. l.* 15. *c.* 5.

oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Quare quisquis veras opes sectaris, atque ex minimis summas vis educere, hic *da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*? Hæc sola est chymica, quæ nunquam fallit.

CAPVT X.

Ecclesiasticorum ac Religiosorum opes, in qua re consistant, & quemadmodum augeri conservarique possint.

NEc Ecclesiasticorum, ac Religiosorum in hac arte, quemlibet cum virtute ditandi, me immemorem esse convenit. Nulli enim facilius ad hanc artem instrui poterunt. Nam pro his Deus ipse, vi promissionis suæ, tenetur esse solicitus, ne quid desit, quod experientiâ discimus quotidianâ, adeó mirabili ab illo providentiâ præstari, ut de iis verissimè paradoxon illud Apostolicum prædicari queat, quod sint tanquam *nihil habentes, & omnia possidentes. a* Qui Deo se addixit, huic majori cura Deus addictus est; & nisi talis fidem datam fefellerit, atque à Deo ad mundum conversus, *mittens manum ad aratrum, respiciat retro, b* Deus nunquam fallet. Israelitarum exercitum maxi-

a 2.*Cor.*6.*v.*10. b *Luc* 9.*v.*62.

maximum, quantâ Deus curâ pascit in solitudine, quàm delicatò Angelorum pane, in quo omnis suavitatem saporis, probi obsequentesque supremo Numini, gustarent, solis desiperet refractariis; ut ex pane cœlesti discerent, probarentque mores suos. Quare siquem Ecclesiastici religiosique viri defectum temporalium sentiant; vel neglectæ apud se pietati disciplinæque, vel nimiæ atque inutili solicitudini propriæ, imputent necesse est: neque enim divinæ hic neglectus providentiæ poterit imputari. Davidicum hoc monitum S. Franciscus sibi suisque in extrema necessitate atque indigentia rerum infixum voluit, *iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet* c Hac confidentiâ, plusquam centena hominum millia nihil habentium, possident omnia, indiesque non suâ, sed divinâ providentiâ aluntur. Rectè Ambrosius *de fuga seculi*, tales instruit. *d Cui portio*, inquit, *Deus est, nihil debet curare nisi Deum. Nec alterius impeditur necessitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur*. Et Petrus Blesensis, *Vacuum*, ait, *à secularibus oportet esse* ani-

c *Psal.* 54. *v.* 23. d *Refertur* 12. *q.* 1. *c. cui portio.*

animum divinæ servitutis obsequio consecratum. Magnis addictus es, noli minimis occupari. Minima & vilia sunt, quæcunque ad seculi quæstus, & non ad lucra pertinent animarum. Mira res, quo moderatius homo Deo consecratus de rebus temporalibus solicitus est, tantò ei certius, ne quid desit, providetur. Nemo hic minus proficit ad opes, quàm qui maximè laborat proficere: nemo magis, quàm qui sacris intentus, cætera, nisi ex officio & ipse teneatur, soli Deo committit. Deus nunquam patitur sua servitia sterilescere. His præcipuè dictum est. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca? &c. Ne soliciti sitis in crastinum.* e

Verùm hoc ægrè, sibi multi persuaderi patiuntur, suisque magis curis fidunt, quàm Deo: uti ille quondam Parisiensis scholæ Theologus, cum ex culina regia luculentam carnium portionem sustulisset, Rexque occurrens deprehensum moneret; Christianam Theologiam docere: *ne soliciti sint in crastinum*: respondit illius se memorem, providisse sibi, ne in crastinum cogeretur esse solicitus. Quâ argutiâ Rex delectatus homi-

e *Mat. 6. v. 25. & 34.*

hominem dimisit. Ita multi tum sese curarum vacuos credunt futuros, quando satis in annos sequentes provisum est, quando pluribus beneficiis dotati sunt, triplicique præ quàm necessitas postulet, redituum subsidio muniuntur. Sed hi dictum sibi meminerint: *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* f Divitiarum curam Deus ab omni discipulo sibi peculiari religioni adstricto abesse voluit. Unde & suis Christus Apostolis inquit, *quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* g Insolens hæc interrogatio videri potest? Nam quomodo ita nudè incedentibus, ut quibus neque pera ad panem, neque calceamentum ad pedes conservandos suppetat, his nihil putetur defuisse? sanè hæc nihil habentibus, liberaliter à Deo, in quavis necessitate suppeditata fuisse oportuit, quando eosdem Apostolos respondisse accepimus Domino: sibi omnino defuisse *nihil.* Planè igitur erant, *nihil habentes, & omnia possidentes.* Et quidem Dominus hanc gloriosam suorum paupertatem eò dignitatis provexit; ut postquam suis præcepisset Apostolis: *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, ne-*

f Ib. g Luc. 22, v. 35.

que peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo suo. Subjunxit: *in quamcunque autem civitatem & castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam. Et quicunque non receperit vos tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrha in die iudicii.* In qua videlicet Loth adhuc hospitalis repertus est. En quomodo summam paupertatem professis, summa Deus cura prospexerit: ut beneficium non tam conferre, quàm accipere videatur, quisquis illos benevolè exceperit: gravissima sese maledictione oneret, quicunque illiberali animo rejecerit. Hos igitur quis divites in sua esse paupertate, solius Dei fretos providentia, neget? Admirandum planè est inter tot hominum religiosorum millia, voluntariam pro Christo paupertatem amplexa, neminem Deo probè fideliterque servientem reperiri, qui sibi aliquando non fuisse provisum queratur, adeoque copiosis hominum familiis, nulla rerum copia in alterum sæpe diem instructis, necessaria tamen suppeditari.

Solicitudo, quam Deus, à nobis requirit, tantilla est; ut paucorum illa ingenio viri-

viribusque, in magna etiam familia, sustineri queat. Illa enim quantulacunque est cura, uni alterive, idque per temporum officiorumque vices, solet demandari. Qui, cùm Dei proximique amore (ut, qui alijs plus, quàm sibi laborent) hoc onus suscipiunt, non facilè à divina providentia, ad suam sese industriam convertunt; quòd illa impellente ac velificante provehantur & provehant: suâ cupiditate, quæ plerosque mortalium à Deo abstrahit, non capiantur: studeant zelentque pro aliorum, nullo sibi carnis vinculo innexorum, commodo. Ut anima hujus operis, nisi Dei proximique charitas esse non possit.

Et hos Deus etiam non vult parca & avara manu sibi suppeditatam pro familia annonam elargiri, tanquam admetiantur de suo, sed velut ab inexhausta providi Numinis penu elargiri. Non quidem profusè, ne malè prodigantur Dei munera; sed nec avarè, ne divinæ beneficentiæ fontes aridi illiberalesque fluere, in creditos suæ curæ famulos, videantur. *Dignus est operarius cibo suo*: qui hunc subtrahit, magnam & Deo, & proximo injuriam irrogat; Deo, quia de illius providentia ac liberalitate, tot argumẽtis promissa præstitaque, diffidit: proximo,

quia aufert, quæ Deus offert, & parca manu subducit, quidquid suis ipse clientibus est elargitus. Unde querelæ, ac murmura nasci solent, quamvis minus perfectorum, quibus & charitas mutua vulneratur, & disciplinæ rigor, pietatisque in religiosa domo cultus laxatur; ac postremò Deus ipse benevolam profusamque antea manum contrahit; ut superiorum avaritiam, subditorum murmur castiget. B. Laurentii Justiniani salubre monitum est. h. *Prudentis*, inquit, *Patrisfamilias hoc semper est proprium, uniuscujusque sibi subditi curam gerere, singulorum necessitatibus providere, nullum spernere, nulli commoda opportuna subtrahere, quin potius omnes corporali pabulo alere, universos salutari doctrina imbuere, cunctosque juxta singulorum necessitatem, ac qualitatem, ut filios, charitatis brachiis adstrictos tenere.* Hoc qui fecerit, atque illa quæ Deus tribuerit, in suos ex æquo partitus fuerit, nec sibi optima quæque delegerit, aut in alios sumptus, contractique debiti necessitates profuderit, deteriora quæque suis impendens subditis; hic & Dei æstimare dona noverit, & justo sibi creditorum amori indulgere, & bono disciplinæ ex instituti legibus.

h. *De Instit. & Regim. Prælat. c. 4.*

bus consulere poterit. Rectè S. Ambrosius i monuit; *principale est virtutu inchoare à beneficiu, & praseminare gratiam. Vnde & David: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Pracedit beneficii gratia, sequitur censura sobria disciplina.* Ubi verò beneficentia in superiore & rei domesticæ administris, in subditis vicissim disciplina reperta fuerit; divinæ providentiæ benignitas nunquam est defutura. Deus bene faciendo non deserit, nisi ab ingratis, maléque suis donis utentibus antè deseratur.

Stulta, & inimica divinæ munificentiæ persuasio est ex prompta dispensatione eorum quæ Deus elargitus est, rerum indigentiam domi esse formidandam. Omnis superiorum ætatum historia, ac præsens ubique experientia contrarium testatur. Quidquid pauperibus ad ianuam subtrahis, quidquid in communi vita fratribus, in afflictione ægris, hoc duplici iactura Deus aufert: quòd verò & his & illis munifica à superioribus manu animoque sufficitur, multiplicato semper fenore refundit; ut & cura nimium solicitis in pœnam augeatur, & æqua profusione liberalibus in præmium adimatur. Exemplis hic in historia sacra ob-

i *Lib. de arca & Noe c. 2.*

viis, uti non libet. quia tamen inter postremas religiosorum curas debet esse mensarum lautitia, nisi sobriè, & quandoque tantùm exquisitior adhibeatur: illud solum divinæ liberalitatis factum exponam, quod multis probatisque testibus, & ab ijs, quibus accidit, iurata fide, *ex processu Canonizationis P. Bernardini Realini* habetur k Vineam Collegij Aletini vir sanctus, cum fratribus laicis quatuor Antonio, Petro Amato, Ascanio Clerico, Augustino Glorioso subierat. Cumque tempus appeteret prandij, & ad hoc necessaria deficerent Bernardinus singulari, quo erga D. Virginem flagrabat affectu, oravit ab illa sibi suisque refectionem suppeditari. Et verò exauditus est, prandio, tam magnificis exquisitisque ciborum lautitijs instructo, quod Regum epulas opulentissimè conditas æquaret. Etenim quinque formosi (quos è cœlo Angelos videres) ad portam adstitere iuvenes, suis singuli ferculis gravati. Assatura inferebatur ex genere duplex, hœduli selecti duo: & tres porcelli igne assi. Deinde columbæ aliquot delicato iusculo præparatæ. Dulciarij sub hæc panis tortæ geminæ, atque ex densato lacte, butyroque & saccaro confe-

ctæ

k *P. Lancicius opusc. spir. 12. c. 3. n. 35.*

ctæ placentæ, regiæ etiam, ut vocant, pastæ frusta longè sapidissima. Quibus scitamenta alia, varij è saccaro globoli, qui coriandri perquam odoriferum semen clauderent, adjuncti erant. Præter hæc allatus est panis triticeus candidissimus: tum verò tria genera vini delicati, nunquam ea in vrbe cogniti; postremò olla grandis, pultis, seu menestræ, ut appellant, lacti similis, & saporis plane divini. Talem apparatum, hi cœlestes ephebi quinque singulis convivarum ministri singuli instruxere. Quæ mensa, inter quas delicias corporis animique refecti transacta fuerit, facilius erit cogitatu assequi, quàm verbis exprimere. Sive enim ministrantium hospitum vultus, sive ciborum apparatum, sive invitantium verba, sive manus porrigentium, sive illius, à quo hæc cœlitus mitterentur Domini Matrisque liberalitatem spectes, nihil erat, quod mens posset humana satis capere, nihil quod sua dignitate æstimare, aut Tulliana etiam eloquentia satis exponere. Neque hic stetit inexhausta Superûm liberalitas, fluxerunt horæ aliquot, & dies ad vesperum evolutus tempus cœnæ advexit.

Iam fortè parabant abitum, ut reversi domum

mum cœnarent, quando cœlestium Geniorum non nemo adstitit, ac persistere iussit, nec incœnatos vinea abire. Paruerunt, iam maturinis epulis inescati hospites.

Igitur appetente mox hora, quinque alio in habitu cultuque Angelici iuvenes, qui præter panes cœlesti manu coctos, tria diversi à superioribus apposuere vini genera, pretio ac raritate certantia. In ferculis lactuca fuit, cùm malis citreis, atque uvæ botris, quæ saccaro in globulos formato erat respersa, limonijsque, ac rosarum boraginumque folijs. Agnosceres plusquam humanis manibus instructum delicium. Tres deinde, nec modicæ, aves, Phasianorum præ se ferentes speciem, tanquam ab igne assæ proponuntur: accessit tenerrimi saporis assa quoque ad ignem vitulina. ut exemplo mortales discerent, qualem cælestes Architriclini suis mensam, quamque basilicas epulas apparare norint, si illorum magis favore, quàm nostri subnixi industria, cum Apostolo & *abundare noverimus & penuriã pati.* Veteri proverbio fertur: non semper antistheria. Nisi hi Dei famuli, in vinea non minus Deo confisi, quam famelici substitissent, par cœlitum benevolentia & liberalitas exspectanda non fuissent. Quod si filius

cis,

cis, Asinorum custos Saul, audire meruit: *cujus erunt optima quaque Israel?* l quidni Deo singulari religione adstrictus, ipsiusque heres ac filius, præ ceteris mundo carnique devotis audire mereatur: cujus erunt optima quæque? Certè hæc Deus suis maximè amicis condere ac servare potius, quã inimicis, divina parum dona æstimantibus, maluit reservare; cùm non minus in honestis epulis illius benignitas celebrari, quàm in jejunio & parcitate nostra possit malitia castigari. Hoc inter probum & improbum lautè epulantem interest, quod inter volucrem & porcum bibentem, illa caput ad cælum sobriè extollit; hic in pastum sordidè immergit. Deus suis nos gaudet muneribus, sed ad suum datorem versos, oblectari, qui universa bona condidit propter electos.

Hinc tamen crapulam, exquisitamque Ecclesiasticorum ac Religiosorum luxum foveri nolim. Aliud est munificè à Deo oblatis, grato animo frui: aliud parum sobriæ castæque vitæ congruentibus inhiare deliciis. Ita, Ethnico Oratore teste, cibo potuque utendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur. Ad quod si gentilem ratio,

l 1. *Reg* 9. v. 20.

tio,nos etiam religio ac pietas instruit; & si hominem secularem intemperantia dedecet, homini spirituali etiam erit probrosa. Quare vniversè illud statuo, Deum vi promissionis suæ, moderatæ vitæ clericis Religiosisque nunquam defuturum, & tam infconsultam illis parcitatem, quàm immodicum luxum, ad honestæ vitæ affluentiam obstare posse.

Alius tamen præter hæc scopulus est, in quem Deo dicati homines impingere, præsentisque etiam vitæ felicitate, aut certè futuræ solent excidere, cùm videlicet cumulandis suo studio opibus inhiant, & vel pluribus, quàm par est aut status officiique cõditio requirit, beneficiis fruuntur: vel negotiatione res suas augere student, atque indignum viris Ecclesiasticis lucrum captant.

CAPUT XI.

Quomodo beneficia ab Ecclesiasticis occupanda, multiplicanda, & vsurpanda sint.

IMprobum esse mundi opes deserere, atque ad Ecclesiæ ministeria transire, ut majores opes adeas, jam supra demonstravi. Siquis tamen hoc consilio venerit, ut Deo, citra curam rerum temporalium, quæ secu-

larem

larem vitam aggravat, commodius honestiusque etiam famuletur, atque iccircò affluentiorem, quàm in seculo fortunam experiatur, sine scelere copiosis domi rebus frui poterit. Et hac mente ad se transeuntibus munifica Deus manu nunquam est defuturus. Hi præcipuè mortalium sunt, qui sine labore & cura solent abundare. Adeò ut hæc eorum felicitas secularium nonnunquam hominum oculos animosque fodicet; ut qui videant, vix summis laboribus curisque illa se posse assequi, qui veluti ad hæc studia otiosis, atque aliud prorsus agẽtibus Ecclesiasticis vltro affluunt. Nimirum non satis expendunt ejusmodi homines, illam esse providi Numinis erga sibi devotos clientes solicitudinem, ut centuplum in hac vita quoque rependere soleat. Neque facilè his munificam manum subducere, nisi suæ homines devotionis obliti, debitum superis obsequium non impenderint.

Nulla gravior majorque Ecclesiasticæ felicitatis abundantiæque clades, quàm ab impietate officiorumque neglectu provenire solet. Ab hac dissolutione nascens per Germaniam hæresis præcipua duxit incrementa. Cum seculares homines indignati otiosos Ecclesiasticorum bonorum possessores,

ſores,rebus omnibus affluere,. ſibique vix duro labore alimenta præparari , illorum prædiis proventibuſque inhiare primum,ac deinde animati , per faventem huic audaciæ hæreſim,manus injicere violentas cœperunt , juſto Dei iudicio ſpoliati bonis, quibus piè moderateque uti deſierant.

Jam verò quemadmodum bonis his acquirendis advigilare juſtè vtiliterque poſſint,noſtri erit inſtituti paucis diſpicere.

Primùm hac in arte pro Eccleſiaſticis præceptum eſt,quod licet expoſuerim,nunquam ſatis poſſum repetere : accedentem ad Deum,nec honoris, nec opum quærendarum causâ,ſed propriæ ſalutis gloriæque divinæ ſtudio impelli debere, qui hunc finē negligit,evertitque,magnâ ſpe conſequendi hoc ipſum quod ſatis eſt, excidit. ſiquidem inflammandæ olim cupiditatis ſcintillas in animum admiſit,quæ pietatis religioniſque omnis ruina eſt. Apoſtolus ille gentium Paulus Timotheo præclaram inſtructionem reliquit,. quæ merito intimos Eccleſiaſticorum ſenſus penetrare debeat. a *Eſt quaſtus*, inquit, *magnus, pietas cum ſufficientia. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri,incidunt in tentationem,*

&

& in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinē. Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es. Orationem magis disertam efficacemque dare nō possum, qui hanc inter Ecclesiasticos negligit, & præsentis, & æternæ felicitatis jacturam faciet. Et sanè ratio hanc viam omnibus manifestam aperit. Quid enim magis videri præposterum poterit, quàm Ecclesiam ejusque possessiones, ad solum Dei cultum fundatas, adire; ut istic honore, opibus, ac deliciis, quæ mundi seculique hujus sunt, affluas? Et, ne de mente consilioque Dei loquar; fuitne quisquam olim, aut etiamnum est secularium in orbe Christiano hominū, qui intentione alia suas opes Ecclesiæ consignet, quàm ut Deo divinæque gloriæ subserviatur? Quis igitur tam amens esse potest, qui existimet se impunè tam radicatam Dei Majorumque voluntatem posse infringere, alióque & mentem suam, & opes ab

ab Ecclesia traditas, absque sacrilegio transferre posse? Expendant hæc parentes illi, quibus curæ magis est, ut filios in opulentis Præbendis divites, quàm in choro religiosos spectent: expendant & filii, qui magis de loculis ac poculis refertis, quam precum breviario, sacrisque Ecclesiæ promovendis soliciti, ad hanc vitam tanquam ad hospitium pingue transeunt, non ut Ecclesiam piè curent, sed ut ab illa lautè curentur. *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge, & sectare justitiam, ac pietatem.*

Quod si qui ambitionis & avaritiæ in vita Ecclesiastica studio in transversum rapiantur, ut vel pinguiora beneficia adeant, vel alia aliis cumulent, vel prælaturas dignitatesque aucupentur, hoc solicitudine vana prensent, cùmque doctrinâ ac vitâ non mereantur, pertentent muneribus, chorumque in forum, & negotiationis officinam sacrilegè convertant: an non his jure Christus indignetur, & ejectis, vel mortis vel calamitatis alterius flagello acclamet, & exprobret, *domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* b Hoc igitur præcipitium metuant, quotquot aliunde quam per ostium in ovile Christi penetrare contendunt.

Alterum itaque præceptum est, ut si hanc

b *Luc.* 19. *v.* 46.

hanc vitæ rationem, tanquam suæ saluti cõvenientiorem ambiant, viâ ad hanc licitâ incedant, neque Simonis Magi imitatores sint, ac dona Dei, pecuniâ oblatâ æstiment, qui ab Apostolo Petro hac voce fulminatus est: *pecunia tua tecum sit, in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* c Nisi igitur, aut ex hæreticorum manibus, ac potestate hæc beneficia eximẽda sint, aut sustentationis jure supremis collatoribus, quicquam debeatur: aut denique gratitudinis loco; citra pactum obligationemque, quicquam refundatur, omnis hic in compensationem illicita erogatio est. Dei dona solent esse gratuita. Quæ verò Simoniacè comparantur, nullo jure possideri ac retineri possunt, quia facto ipso ejusmodi irritatur possessio, præterquam, quod Ecclesiæ excommunicationi ac fulmini subjecta sit. De qua re Consule *Extrav.* cum detestabile. *de Simonia.* Et D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6.

Tertium est, ut noverit, perquam esse periculosum illorum hominum statum, qui vel præter necessitatem suam, vel utilitatem manifestam Ecclesiæ, plura simul beneficia occupant; nisi ejusmodi illa sint, quæ vnius susten-

c *Act.* 8. *v.* 20.

ſuſtentationi non ſufficiant, ideoque ad alterius beneficii complementum ordinentur. Nam, ut *Tridentinum* nobis *Concilium ſeſſ.* 24. tradit, ejuſmodi beneficiorum pluralitas magna Eccleſiæ Dei infert incommoda, dum cultus divinus imminuitur, Eccleſia operariis, fundator pia intentione, paupereſque, ac humiles Dei ſervitio futuri aptiores, ſuſtentatione neceſſaria fruſtrantur. Unde Gloſſa in caput dudum 2. de Elect. Verb. Retinere monet. *Notandum, quod qui habet plura beneficia, quorum alterum per ſe ſufficeret, non poteſt ſine mortali peccato retinere aliud.* Cumque juris divini Lex hæc ſit, quæ ſuam hanc veluti operario mercedem ſtatuit, vultque, ut habentes victum & alimenta, his contenti ſimus: nec Pontifici quidē hac in re, citra juſtam cauſam (in quâ, Lex hæc non tenere cenſeatur) diſpenſare fas eſt. ut D. Thom. Paludanus, Adrianus aliique apud Laym. l, 4. Tract. 2 c. 8, tradunt.

Cauſæ autem quæ ad ſuſtentationem vnius plurium beneficiorum poſſeſſionem admittunt, tres illæ communi Doctorum ſuffragatione dantur, I. Eſt evidens Eccleſiæ neceſſitas, ut cùm ob idoneorum Eccleſiæ miniſtrorum penuriam, quod in locis hære-

hæreticis fieri poterit, plura alicui supra necessariam sustentationem beneficia indulgentur; quæ causa cessat, cùm idoneæ personæ suppetunt. II. Ejusdem Ecclesiæ manifesta utilitas; cùm videlicet homo doctus piusque; aut majori autoritate, ob genus & nobilitatem pollens, plus rei Ecclesiasticæ, adversus potentes illius æmulos profuturus videtur. Ita in septentrione illustris familiæ viris ad illorum potentiam, contra hæreticorum insultus stabiliendam, pluribus ornantur, extolluntur que beneficiis, ut Ecclesiæ per illos securitati consulatur. III. Meritorum personæ ratio haberi etiam poterit, si nimirum Ecclesiæ præ ceteris, suo consilio, doctrina, ac scriptione prosit. Nam pro his dispensat Apostolus 1 ad Tim. 5. *qui bene*, inquit. *præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* ad digniorem autem statum tuendum, plus sumptuum impensarumque in familiam, in hospites, amicosque requiritur. Unde Innocentius III. Pontifex in Concilio generali c. de multa, de Præbendis cum prohibuisset pluralitatem beneficiorum curatorum & personatuum, adjecit: *circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ,*

cum

cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari. Verùm his in causis Pontifici proponendis cautissimè agendum, videndumque est, ne quem sua decipiat ac fallat cupiditas. nisi enim universè maius Ecclesiæ emolumentum sit, dum te præ aliis idem beneficium prensantibus neque impeditis, admittit; non Pontificem malè instructum, sed teipsum decepisti, cùm privata cupiditate excoecatus indebita occupas, & per fraudem intruderis alienis. *Væ illi* (Prophetæ d voces sunt) *qui multiplicat non sua, & aggravat contra se densum lutum!* Metuenda Christi verba sunt e *Filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire Facilius est camelum per foramen acus transire.* Concilium Parisiense ejusmodi hominum cupiditatem non immeritò detestatur. *Solent,* ait, f *à nonnullis multifaria occasiones obtendi, quæ necessitatis nomine palliantur, & re vera, dum exterius necessitas prætenditur, interius avaritia tegitur. Scribit etiam Beda, quod nonnulli Sacerdotum & Doctorum loco potiti, dum ignem cupiditatis igni supernæ dilectionis anteponunt, igne supernæ ultionis absumuntur, quorum*

d *Habac.* 2. e *Marc.* 10. *v.* 24. f *Sub Ludov. & Loth. l.* 1, *c.* 13.

rum perpetua damnatio temporali filiorum Aaron morte figurata est. Ne igitur seipsos incauti seducant, latentem illis, sub viridi herba anguem manifestavi.

Quartum est, ut intelligant Ecclesiastici, nihil à se in profanos usus, ut ad consanguineos aliosve amicos ditandos converti posse, nihilque testamento ad alios transferre: quia Christi & Ecclesiæ bona sunt, quibus ad honestam sustentationem, non verò ad luxum, profusionemque uti concessum est, cetera quæ superfluunt, vel pauperibus impendenda, vel Ecclesiæ relinquenda sunt. Quod si igitur consanguinei cum inopia miserè conflictentur, eorum dum vivunt liberis erogare licebit. Filiis etiam honestiorum, si in studiis atque institutione domi negligantur; plusculum tribuere non erit inconcessum, quod ad salutem proximi divinumque honorem impensæ tales vertantur. Ceterùm de bonis cuique ex patrimonio obvenientibus, pro arbitrio fas erit disponere: modò Christi possessio non violetur. Unde D Bernadus Canonicum Lugdunensem Epist. 2. gravissimè his verbis admonet. *quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Tridentina sy-

nodus sess.25 c.1. *interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones, ut 39. & 40. prohibeant: ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.*

Eademque ex causa intelligent quantum nefas sit, in familiam, & luxum domesticum non necessarium, in frequentes epulas, in venationes, canes equos, parasitos, in lusus & compotationes ejusmodi bona insumere: hoc enim si ex propriis etiam bonis fieri nefas sit, quantum erit flagitium ex bonis Dei servitio consecratis audere, atque adjumenta pietatis & religionis convertere in instrumenta luxuriæ!

Quintum, ut memor Ecclesiasticus homo sit beneficium eâ lege conferri, ut officium pietatis, à possessore in Ecclesia persolvatur; quæ obligatio tanta est, ut hoc omisso, Beneficii fructus injuriâ occupet, illosque Ecclesiæ, seu fabricæ Beneficii, vel pauperibus refundere teneatur. Hic enim finis est ac sola ratio, quam & fundator, & Ecclesia, & Deus spectat, quâ sublatâ, totum ruere necesse est, ac Beneficium in sacrilegium converti. Etenim si naturam illius spectes, omnium Theologorum consensu: *Beneficium Ecclesiasticum, jus est perpetuum perci-*

percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, autoritate Ecclesiæ constitutum. Tolle officium, & destruis beneficium. Quod par est illos expendere, qui non uno, sed pluribus dotati Beneficiis, vix de precibus integrè exsolvendis soliciti, vel quæsitis ex causis dispensationem Romanam obtinere conantur, vel ipsi secum liberali negligentiâ dispensant, ac secularibus quandoque negotiis, citra necessitatem immixti, sibi facilè indulgent, profectionibus non necessariis detinentur, ab Ecclesia, cui serviendum, frequenter, longoque absunt tempore, & per vicarios officia frigidè administrant. His profectò gravis aliquando incumbet ratio, ab illo Judice, qui in nullo fallitur, ac se suamque Ecclesiã his pietatis officiis destitui impune nunquam patietur. Verbo dicam, Ecclesiæ, quæ te alit, tantò fidelius debes officium, quanto lautius obtines beneficium, quod Deus non minori iure rigoreque à te exiget, quam tu à tuo ministro tuis impendiis alito exacturus esses. Indue alium personã ministerioque tuo; & quidquid ab illo cum ratione postulabis officii, hoc a te existimes jure esse postulandum.

His itaque legibus, si Ecclesiasticus juxta

ſuam vocationem obſecutus fuerit, non dubia fide affirmo, nihil illi facilè à munifica Dei manu defuturum. His præcipuè dictum eſt. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* a Nulla novimus experientia compertum eſſe, Deum illis defuiſſe, qui ei ſe, relictâ temporalium rerum curâ, addixerunt. Et certè ſi ulla in re Deus fidem præſtet (quam nunquam fallere, certum eſt) hanc ſibi peculiari religione obſtrictis, ſervare æquum eſt. Quod tam liberaliter exequitur, ut his etiam, qui religionem ſibi promiſſam violant, manum ſæpe non ſubtrahat, ne Eccleſiæ ſponſæ ſuæ defuiſſe exiſtimetur.

Porrò hanc inſtructionem non Clericis tantùm, ſed Laicis quoque exhibui; ut hi norint, quo conſilio propoſitoque ad caſtra Dei tranſeundum ſit; nec ita opibus Eccleſiaſticis inhient; ut exiſtiment, has ſibi citra oneris officiique executionem deberi.

a *Luc. 12. v.*

CAPUT XII.

An, & qua ratione, negotiationibus res ſuas augere viri Eccleſiaſtici poſſint.

IN homine Eccleſiæ Dei conſecrato, nihil magis ab inſtituto alienum reperiri poterit,

rit, quàm negotiandi studium, quo opibus augendis, lucrique indecori curis invigilat. Neque enim satis fidere Deo existimandus est, qui ab illo ad suam industriam vertitur: nisi talis hæc sit, quæ magis otii excludendi gratia, quàm negotiorum causa adhibeatur; & necessitatis lex aliqua, exemplumque probatorum in Ecclesia virorum suadeat. Moderatus enim labor, qui pietatis nil derogat officiis, subvenitque aut propriæ, aut alienæ necessitati, non modò non reprehendi, verùm laudari etiam mereretur. Cum Apostolus Paulus, ne amicos nimium gravaret hospites, suarum quandoque labore manuum victum compararet, ideóque in pari necessitate par consilium iure sit amplectendum.

Ceterum Lex generalis ab Apostolo ad Timotheum perscripta est. a *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Hac lege ad Deum transitur, ut abeamus à seculo, qui utrobique vult subsistere, divisus est, nec mundo sat idoneus, nec Deo. Quare Concilium Chalcedonense olim huic malo occurrendum censuit, dum cap. 5. ita loquitur. *Pervenit ad sanctam synodum, quia de iis, qui in Clero connumerantur, quidam pro-*

a 2. Tim. 2.

pter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones, & causas seculares suscipiunt, & à sacris quidem officiis se per desidiam separant, ad domos autem secularium concurrunt; & substantiarum eorum gubernationes amicitiæ causa suscipiunt. Decrevit ergo S. Synodus, nullum Clericum deinceps aut Monachum, conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus: nisi fortè qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahitur: aut cui civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, & orphanorum aut viduarum, quæ indefensa sunt, & earum personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si quis verò transgressus fuerit hæc præcepta, Ecclesiasticæ correctioni subjaceat. Quod decretum in Concilio quoque Lateranensi sub Innoc. III. c. 16. habetur.

Neque incongruè illam Jeremiæ *b* lamentationem Gregorius Papa his negotiatoribus accommodat: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Ita enim in suo Pastorali disserit, *c Aurum obscuratur, cum terrenis actibus*

b *Thren.* 3. c *Past l.* 2. *c.* 7.

bus sanctitatis vita polluitur : color optimus commutatur, cum eorum, qui degere religiosè credebantur, æstimatio anteacta minuitur, Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii, vacare debuerunt. Quod si adeò tristis illa fuit sanctæ vrbis templique devastatio, ut Christus illam in spiritu contemplatus amarè fleverit; qualis existimas hominis animæque Deo dicatæ profanatio in oculis ipsius futura est? Talis vtique qualem ille non lacrymis solum, verùm & fuso sanguine dolere visus est.

Cum tamen quandoque necessitas admovere manum operi & negotiationi cogat, iuverit paucis cognoscere, quid quantumque hic juxta S. Canones usumque receptum Clericis liceat.

Negotiatio quamvis ex sua natura damnanda non sit, quia tamen humanæ cupiditati plerumque alimentum subjicit, animūque sibi intentum minus ad cœlestia liberè conniti patitur, multorum fraudibus, mendaciis atque iniquitate infamatur; hinc quantum licet, animus Ecclesiasticorum ab illa est sevocandus; laborandumque ut hic

Deo & spiritualibus studiis integrè impendatur.

1. Igitur necessitas illos ab hac lege eximit. Nam ut habet Glossa in caput *Dilecti*, De Decimis verbo *Conduxistis*. Si Monasterio propria prædia ad alendos fratres non sufficiant, fas erit conducere aliena, atque inde perceptos fructus, vel absumere, vel etiam vendere. Quare hoc in casu, etiam à tributo, ex ejusmodi lucris, aut fructibus seculari Principi præstandis, Clerici ac Religiosi jure eximentur. Vide Molin. tom. 1. tr. 2. disp. 242. Quod si tamen, per societatem cum Laicis contractam, in negotiatione eis legibus versari possint; ut Clerici pecuniam suppeditent, illi laborem præstent, lucrum verò vtrumque partiantur, multo illud consultius futurum est, & si ad necessitatem levandam sufficiat, amplectẽdum. Ubi verò necessitas defuerit, hoc quoque negotiandi studium (licet minus noxium sit) declinandum.

2. Licebit extra casum necessitatis quoque bona sibi ex propriis possessionibus obvenientia vendere, ideoque & pecora in suis nutrita prædiis, fructibusque agrorum educata; vina copiosius ex suis collecta vineis, cùm utilitate traducere: modò tabernas in

pro-

propriis domibus, aut Monasteriis non erigant. Cùm tabernariam exercere Ecclesiasticis probrosum sit. Sua etiam locare aliis prædia, aut jumenta non erit inconcessum; licet iccirco hæc emere, ut aliis cum lucro elocentur, vetitum sit; quia hoc est, ex propriè instituta negotiatione lucrum captare: illud verò à se possessionis jure adita, in suam & Ecclesiæ utilitatem optima ratione convertere, quòd Deus & natura cuilibet indulget.

Quòd si tamen ad honestum laborem suscipiendum, quædam certis artibus opificiisque exercendis materia coëmatur, quam deinde elaboratam vendant, nihil ab Apostolorum consuetudine inter quos D. Paulum scenofactoriam exercuisse constat, a ac veterum Monachorum retia corbesque à se textos vendentium usu, alienum facere videbuntur. Ut habetur ex D. Hierony. Epistola ad Rusticum, & cap. 1. d. 91. & ex Pelagio Papa c. Clericus, ibidem. Quæ si tamen citra necessitatem, vel alendi se, vel etiam occupandi, quæstus tantum gratiâ fierent, veniam excusationemque non mererentur. Cum Apostolus clericos detestetur, multò

a. Act. 18.

magis religiosos, *turpe lucrum sectantes b* His ille Hesiodi versus latinè redditus inculcari poterit:

Ne malè lucreris: mala lucra æqualia damnis.

Et Plauto etiam homine Comico, qui ridendo sæpe verum dicit.

Est ubi profectò damnum præstat facere, quàm lucrum.

Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam. In Capt.

Nihil, ut hanc dissertationem universè concludam, magis indignum homine divinis obsequiis consecrato videtur, quàm ut lucra ille negotiando sectetur, seque curis officiisque secularium immisceat, qui idcirco à mundo abiit, ut his solutus, Deo serviret. Certè talis ipsa sua perversitate fatetur propalam, non tam ad Deum, quàm lautiorem vitæ conditionem sese à mundo conversum; reliquisse aliqua, ut plura possideret, quærere in choro, quæ in foro desperasset. Rursum profitetur talis, se providentiæ divinæ non satis fidere, quæ Dei regnum quærentibus, omnia adjicere decrevit.

Nisi enim existimaret hanc promissionem fallere nonnunquam posse, inutilis labor

b 1. *Tim* 3. v. 8.

bor futurus esset citra quem, hæc sibi longè certiùs obventura esse cognosceret.

Possem hic ad aliam quoque Ecclesiasticorum hominum aberrationem aliquantò prolixius evagari, quæ ex eadem cupiditatis labe vitium trahit: qui ad vitam hanc transeunt, ut ab humilioribus minusque opulentis beneficiis sensim ad locupletiora transportentur, vel suâ industriâ, vel aliorũ gratiâ provecti: Hi certè ex illis non sunt, qui regnum Dei consectantur, adeóque semper miseri, inopes, atque infelices, sive speratis excidant, sive aliquando potiantur: nam vix eorum quisquam est, qui acquisitis vel satiari possit, vel ex voto frui, Deo tam indomitam cupiditatem in Ecclesia sua nũquam diu, ac impunè, sustinente. Ego hic paucis cum D. Bernardo præposteros illos opum dignitatumque sectatores affabor. a *Age ergo*, inquit, *quoniam judicium gravè his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur: ascendat superbia tua semper, sequere Regem tuum, omne sublime videant oculi tui, festina multiplicare præbendas, inde ad Archidiaconatus evola, demum aspira ad Episcopatus, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam sic itur ad astra. Quò*

a *In declam. super* Ecce nos, *&c.*

CAPUT XIII.

Quomodo bona Ecclesiastica acquiri, traducique sine offensione ac scelere queant.

EXpeditam nonnulli vel se, vel filios consanguineosve ditandi rationem sese reperisse existimant, cum vel officiis, vel largitionibus impensis alteri, pingue aliquod in Ecclesia beneficium occuparunt. Quæ enim via ad locupletandum quempiam brevior, absolutiorque, quàm unâ Canonicatus, aut Prælaturæ translatione repentè ad magnas possessiones, opulentosque census admitti? Mirum est, quàm vigilantes hic multi circumferant oculos, quibus artibus tam luculentæ fortunæ insidientur. Nonnulli aureo etiam piscari hamo non verentur, ne præda tam opima effugiat. Verùm ad has opes sine impensis venire opibus, ut maximè utile, sic tutissimum laudatissimumque esse, compertum est. Sola hic religio, doctrina, ac virtus, quæque has dotes comitatur bonorum hominum favore ac benevolentia, optimum sunt ad has opes consequendas præsidium.

Quicunque ad Ecclesiæ Christianæ possessiones dignitatesque aspirat, hunc vacuis accedere manibus inprimis convenit. Chri-

ſtus ſupremum Eccleſiæ caput, mercator non eſt, nundinatores è templo cum igno-minia exturbavit. Novimus quâ ſententiâ Apoſtolorum Simon Magus fulminatus ſit, cum oblatâ pecuniâ, donum conferendi Spiritum S. inter Chriſti Diſcipulos, temerè prenſaret. *Pecuniâ tua*, inquit Petrus, *tecumſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* a Unde Scelus hoc à Simone illo Simoniæ nomen traxit, & in Theologorum & Iuriſtarum Scholis definitur: *Studioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, idque pacto pretii temporalis.* b Indignum enim eſt, res Spirituales, aut Eccleſiæ Deoque conſecratas, adeò vilis cenſeri pretii, ut tanquam æqualia temporalibus, cum iis permutanda, in pactum traducantur. *Gratis*, inquit Chriſtus, *accepiſtis, gratis date* c Donum Dei, nullâ pecuniâ aut quacunque tandem re temporali æſtimandum eſt, niſi Simonis maledictionem ſubire velis. Rectè D. Ambroſium ad Sacrilegum Epiſcopum. *Dic*, inquit, d *frater Epiſcope, ſi gratia gra-*

tis

a *Act.* 8. *v.* 20.

b *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *& alii.*

c *Matth.* 10.

d *De dign. Sacerd. c.* 5.

tu datur, & auro non æstimatur, à te-cur gratia pecunia comparatur? Hujus criminis impietas Dei ipsius autoritatem negligit, ac dignitatem aspernatur. Unde Simoni Petrus inquit, *in obligatione iniquitatis video te esse*, & in Sacris Canonibus *execrabile flagitium, e, pestisque* dicitur, *quæ sui magnitudine alios morbos vincat* f Apostolicus Canon his verbis legitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur, & ipse, & ordinator & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro.* Unde & Magnus Gregorius in suis Epistolis ait, g Hanc nefandissimam pravitatem Sancta Universalis omnino damnat Ecclesia. Ut præter alias Synodus Oecumenica Chalcedonensis, & diversa Pontificum decreta profligant, excommunicatione latæ sententiæ, & non tantùm infamiâ, sed inhabilitate, & privatione beneficiorum, omnium, etiam justè acquisitorum, ac suspensione ab ordine per Simoniam collato, multant. Neque accipientes solum munera, verùm & conferentes cooperantesque has pœnas incurrunt

h Non

e *c. reperiuntur* 1, *q.* 1.
f *c sicut.* 1. *de Simon.*
g *Epist.* 55. *l.* 4.

h Non largus præmiis, ait D. Gregor. *i Sed dignus meritis, eligatur. Nam & electum & eligentes par pœna respicit, si Sacerdotii sinceritatem mente sacrilega violaverint.* Et certè hæc cautio severitasque necessaria in Ecclesia fuit; ne ubique armati potentiâ & opibus in has possessiones irruerent, & Ecclesia Dei non pastoribus, sed lupis omnia vastaturis crederetur.

Verùm tamen contra multorum ambitionem & avaritiam, nulla satis fulmina sufficiunt. *Hæc*, ut D. Cyprianus jam olim queritur, *k Sacrilegii forma, per omnia officia gradusque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam Diaboli hæc esse negotia, & nundinatores ejus, quicunque hæc exercent commercia, nec quicquam hujusmodi, nisi præmissa apostasiâ, donari.* De eodem cum Tertulliano Gregorius malo lamentatur. *l Hæc est*, ait, hæresis, *quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentavit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cujus erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postea*

h Extrav. *Sane in vinea. &, cum detestabile. & Trid. Sess.* 24. *c.* 18.

i *Epist.* 23. *l.* 4.

k *De Iejunio & tentat.*

l Tertul. *de præsc. in* 4. *Ps. pœni.*

postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulavit. Quocirca hi tanquam apostatæ, & hæretici in Ecclesia Dei habentur, specie quidem externa conjuncti, sed divina sententia jam damnati ejectique, sive clerici illi sint, qui vendunt, sive laici, qui emunt. & hos & illos juxtà Deus execratur. Chrysostomi, seu autoris imperfecti operis, voces sunt. m *Quotidie ingreditur Iesus in templum suum, id est sanctam Ecclesiam, & ejicit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia. Episcopos, Prebyteros, Diaconos, omnes Ecclesiasticos, nec non Laicos, quia unius criminis habentur pariter, Dei dona vendentes, & ementes.*

Porrò amplissimus hujus vitii campus est, si materiem spectes: nam *spirituale* donum censetur quidquid ad nostram salutem vel ex natura sua ordinatur, ut gratia, & Spiritus dona sunt: vel ut causa adhibetur, ut sunt Sacramenta, preces, sacrificia, concionesque: vel denique effectus ususque est potestatis sacræ, ut consecratio, benedictio, excommunicatio, dispensatio, absolutio, electio, præsentatio, collatio, beneficii, aut alii quicunque actus ab Ecclesiæ potestate manantes. *Spirituali* verò *annexum* est, quæ quā vis temporalia sunt, ad spirituale tamen ex

m *Hom.* 38. *in Matth.* 21.

ex sua institutione ordinantur, & vel antecedunt; ut jus patronatus, quô beneficium conferri solet, & sacræ vestes, ac vasa divinis rebus destinata: vel ipsam rem sacram comitantur, ut labor sine quo officium peragi nequit: vel etiam consequuntur, ut beneficiorum redittus, quæ universè absque Simoniæ crimine vendi nequeunt. Præter quæ ex natura rei, & jure divino, in quantum rem involvunt spiritualem, prohibita alia quoque extrinsecè tantùm connexa per Ecclesiam prohibentur, ideoque Simonia est jure humano proscripta 1. Officia Sacristæ, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ, Thesaurarii aliaque huc spectantia, aut vendere, aut emere. 2. Offerre pecuniam cuipiam eo pacto, ut suadeat alteri collationem beneficii: 3. Pacisci de resignatione beneficii, vel solvenda pensione certa, modò alter aliud tibi beneficium impetret. 4. Acceptio muneris etiam sponte oblati pro examine, aut collatione ordinum, tonsura literisque dimissoriis (decima parte aurei pro Notario dempta) etiam in Tridentino prohibetur *n* 5. Exactio pecuniæ ab iis qui ad religionem admittuntur, pro onere sustentationis, nisi tenuitas, aut consuetudo id exigant. Hæc enim

n *Sess. 21. c. 10. & 24. c. 18.*

enim aliaque, ut quàm longissimè Simoniæ periculum submoveret Ecclesia, suis fidelibus interdixit. o Atque ut intelligas, quantum remotiora hæc etiam Simoniæ vitia Deus aversetur, horrendum planè est, quod à Cyrillo inter D. Augustini Epistolas memoratur. Monasterium in Thebaide ducentarum propè feminarum erat, apud quas consuetudo inoleverat nullam admittendi, nisi certum pecuniæ numerum attulisset. Cuidam illarum, cujus animus à tam profana negotiatione abhorrebat, D. Hieronymus per somnum apparet, admonetque, uti ceteris pergeret nunciare, nisi actutum poenitentes ab ea exactione desisterent, ultionem à Deo paratam jam ipsarum capitibus imminere. Cumque hæc in conventu omnium narrata, risu acceptassent, existimantibus deliramentum esse mulierculæ aniliter desipientis: Alterâ deinceps, & tertiâ nocte, eadem visa rursus coram replicantem, jam odio habitam, probro agitantes ejecêre: Deo disponente, ne scilicet, ut Loth cum Sodomis, disperiret. Vix enim mulier septa claustri egressa fuerat, cùm Monaste-

rium

o *Suar. t. 3. de relig. l. 4. c. 36. Sess l. 2. c. 35. Bonac d. 1. q 1. & 2.*

p *Epist. 206. inter August. c. 8.*

rium ipsum terribili fragore funditus concussum, reliquas ruinâ oppressit; ut ex tanto numero, nec una quidem, extremum saltem in morte anhelitum ducens inventa sit. Gravius profectò divinæ indignationis exemplum vix poterat exspectari. Manavit illa etiam vindicta Dei ad posteros, quæ Giezi Elisæi famulo adhæsit, cum munera Naamani, ob sanitatem redditam, admisisset. Lepra enim ipsi, & semini ejus, in sempiternum inflicta est. q Ita D. Ambrosius de Episcopo per largitionem ordinato. *Oculis*, inquit, *carnalibus videtur Episcopus magnus, & divinis obtutibus videtur leprosus magnus. Quod dedit, ut ordinaretur Episcopus aurum fuit, & quod perdidit anima fuit. Cùm alium ordinaret, quod accepit pecunia fuit, & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum.* Non omnes subitania ruina opprimit, sed pœna quæ tardior est, crescente malitia, incumbit gravior: cum rarissima in hoc flagitio pœnitentia sit; ut quæ absque cessione possessionis beneficiique obtenti, nunquam expletur.

Illustri hoc ipsum exemplo patuit sub Henrico II. Imper. Roman. anno Christi

1055.

q 4. Reg. 5.

1055. cum Simoniaca illa hæresis Italiam Burgundiamque universam occuparet, Misit enim Victor II. Pont. Max. grassanti malo sese oppositurum Hildebrandum Archidiaconum, qui in Lugdunensi provinciâ, coactâ Episcoporum Synodo, accusationem adversus præsentem Archiepiscopum de Simoniæ crimine audivit. Hic sequenti die pro sui defensione dicturus, noctu accusatoribus os auro argentoque oblevit, jamque ad Synodum posterâ luce redux, defensionem suam ita exorsus est, ut contradictores omnes ad dicendam adversus se causam provocaret. Quibus tacentibus, Archidiaconus ad illum denique conversus, inquit, *credisne, O Archiepiscope, Spiritum S. cum Patre, & Filio, unam esse Deitatis substantiam?* Quo respondente, *Credo*, Subjecit Archidiaconus. *Dic igitur: gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* Tunc ille: *Gloria Patri, & Filio*, expeditè dicebat, sed Spiritum S. quamvis sæpius repetens, obluctansque, proferre nunquam potuit; quod adversus hunc inprimis & Simoniâ, & mendacio peccasset, qui erat Spiritus gratiæ & veritatis. Quare divino se judicio damnatum confusumque animadvertens, ad pedes Archidiaconi supplex procidit, sacrilegiumque

nam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est. non enim invenit poenitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Difficilior nullus est ad poenitentiam & salutem reditus, quàm ab hoc Simoniæ scelere. Quicunque eidem, etiam tanquam cooperator, x sive ementium, sive vendentium implicatur, inexcusabilis est, ac pœnitentiæ incapax, nisi bonis & dignitatibus hac arte occupatis cedatur. quod quam rarum arduumque sit, mea opinor expositione non eget. Hoc illos inprimis parentes intelligere cuipiam, qui tam stulta nundinatione pro filiis, ut se illosque Diabolo immolent, non rarò occupantur. *Inexpiabilis* ait D. Ambrosius y *est venditi* (sive empti) *culpa ministerii, & gratia vindicta cœlestis transit ad posteros* & de dignitate Sacerdotali, hoc vitium detestans, *quid prodest,* inquit, *homini hujusmodi, si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

Verùm præclarè sese hanc rem auspicari nonnulli existimant, si titulo quopiam, reperto hoc Simoniæ flagitium, colore æquitatis

x *Paul. II. in extrav. 2. de Simon.*
y *In Luc. l. 4 c. 4.*

tatis cohonestent. Periculosæ negotiationis res est permutare, aut resignare beneficium (quæ quidem, cum Superioris facultate, possunt fieri) sibique ex translato beneficio fructus aliquos pensionis titulo reservare. Nisi hæc ad Ecclesiæ commodum, propriæque sustentationis in persona, & officio Ecclesiastico, necessitatem referatur z. Certè hanc pensionem, aut fructus servari alteri, non resignanti, aut conferenti, Simoniæ confidentialis crimine jam dudum damnatum est. a

Ceterum spirituale dare pro spirituali, ut, cum præpositorum consensu, beneficium pro beneficio, reliquiæ SS. pro reliquiis; dantur, etiam rem temporalem, ad spiritualia destinatam, e. g. caliçem, aut agnum Dei ratione solius materiæ vendere: aut iis, qui spiritualia in se munia suscipiunt, ratione sustentationis personæ tali necessariæ, stipendium ex pacto designare, ne officium deserat, à vitio Simoniæ remotum est, cùm vel spirtuale spirituali comparetur, vel solius temporalis materiæ, aut sustentationis habeatur ratio, non æstimata, aut in pactum pretii deducta rei spiritualis dignitate, seu natura.

z *Laym. l. 4. t. 9. c. ult. §. 5. q. 4. 5. & 6.*
a *In Bulla Pii V.*

natura. Rursum Simonia non est, dare quippiam aliis te à Sacramentis divinisque officiis, aut beneficiorum possessione (modò jus ad illam habeas) prohibentibus. Cum redimendæ vexationis, non coëmendi gratiâ hæc præstes. *b* At periculosum fuerit beneficia ab hæreticis collatoribus, certo pretio oblata, hoc exposito, tibi vendicare: nisi ad Catholicorum Præsulum arbitrium potius, quàm æstimati beneficii causâ fecisse videaris. Nec vacat discrimine, quidquid donorum temporalium, ad spiritualis beneficii comparationem, non dicam ex pacto tacito expressove (quod semper damnabile) sed gratuitò etiam expenditur. Nam cum rari hoc præstent sine intentione obligandi, alterum ad beneficii collationem: ita, ut si negligat, iniquum injuriumque fuisse asserant: mentalem Simoniam effugere vix videntur; & si præstetur beneficium ita affectis, ejus censuras non devitabunt. Nec minus iisdem obnoxii futuri sunt, qui vel accepto beneficio existimant, se ad temporalis obsequii, aut muneris refusionem ex æquitate quadam teneri: aut his quondam perceptis, ad illius collationem obligari. *c*

Q Liber-

b *Laym. supra* §. 2.

c *Ibid.* §. 6. & *Suar. c.* 41. *de relig. t.* 1. *tr.* 3. *l.* 4.

frustra arguisset, ad ignis denique probationem restitantem provocavit, cujus experimentum Abbas se facturum obtulit, tantùm spectatorem Archiepiscopum invitavit. Qui cum negaret, civitas tamen Florentina condixit. Locus in Monasterio Septimii, dies quadragesimæ quartus in hebdomade prima, delectus est. Strues lignorum duæ in publico juxta se invicem per decem pedes extensæ succensæque, ac medium inter has iter vivis instratum carbonibus. Ibi post solennem Numinis invocationem, peracto sacrificio, ac litaniis absolutis, alius Abbas Petrus, nudipes crucem manu gestans, in conspectu Gualberti, & innumeræ multitudinis, obtestatus antè, voce disertâ. Christum: *ut si Petrus Archiepiscopus nocens esset, ipse servaretur, innocens*, per ardentes prunas mediosque flammarum globos illæsus progreditur; ut nec vestigium quidem ignis adhæresceret, mox eádem rediturus viâ: nisi populus tam manifesto argumento veritatem edoctus, detinuisset. c Homines falli obtentis Simoniæ velis possunt, Deus non fallitur, qui universam potius elementorum naturam destruet, quam adeò

c *Vesperus. Abbas an.* 1088. *apud Baron. anno* 1036.

adeò sibi invisum crimen transeat impunitum. quod præsentis judicii ignis non arguet, succendendus in futuro judicio vindicabit. tristem hanc miseri sententiam cum Simone audient : *Pecunia tua sit tecum in perditionem.*

Quæ verò potest digna Christiano homine censeri opulentia, quæ hac via & arte obtinetur, & perpetuis iniquæ possessionis stimulis mentem fodicat, animamque teterrimâ Simoniæ leprâ inficit, ut corpus locupletius nutriat. Quovis Giezi calamitosior est Simoniacus, de quo sic differit Ambrosius. f *Cito turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque malè quæsita commaculat. Accepisti, inquit Elisæus, pecuniam & possidebis ex ea agrum, & vineas, & oliveta, & greges, & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, in sempiternum.* Temporali hic pœnâ expiavit flagitium : reliqui, nisi malè occupata deserant, luent æternâ. Finio ipsius sententia Veritatis: *Non potestis Deo servire, & Mammonæ,* g

f *Lib.* 4. *in Luc. c.* 4.
g *Matth.* 6. *v.* 24.

CAPUT

CAPUT XIV.

Quid Principibus ac Magistratibus rerump. maximè observandum sit, ut ad honestam stabilemq; opulentiam perveniant.

NUnc & Viris Principibus ceterisque rerump. proceribus hoc studio nostro est gratificandum. Nam his non utile solum, verùm & honorificum est affluere opibus, imprimisque Principum illa virorum est gloria. Pecunia & ærarium dives, nervi sanguisque est Reip. Hic præcipuus contra hostes murus est, hæc firmissima subditorū sunt propugnacula. Abundare Principem convenit, at non iniquis rationibus. Quantum fas æquumque patitur, tantum auri argentique possideat. Extra hos terminos omnis procerum opulentia, ceterorum plerumque divitum flagitia superat: quòd horum rapacitas tantò violentior sit, quantò impunius in miseros infelicesque subditos grassatur. Hos igitur si ad facilem opulentiam paucis instruxero, non illis solum, verùm & subjectis latè populis rectè consultum ibo.

Politicorum hic artes ingeniaque hominum non excutiam, qui egregiam se tunc locupletando Principi, aut Magistratui ope-

ram, ad cumulandas opes, navare existimant, cùm novam quampiam atque inuisitatam hactenus vectigalium, tributorumque rationem inveniunt, & minima quæque mercimoniorum genera suis oneribus, nullà impulsi necessitate, aggravant, ut nihil, nec ad humanæ vitæ alimentum, citra hanc flagellationem verti possit. Hi enim, velut mali Medici, ita curant Remp. ut laborantis morbum accendant magis, quàm sublevent, de loculis potius quàm populis soliciti. Stulta hæc est ditandi viros principes ratio: cùm Regni ac Reip. robur, non in unius, aut paucorum opulentia procerum, verum totius populi opibus consistat. Sanguis in solo corde, aut vitalis in cerebro spiritus, ad universi corporis vires non sufficit, sed per venas arteriasque quaquaversum copiosè sparsus maximè vegetat, integramque ac valentem corpori habitudinem præstat. Sat dives Princeps ac Magistratus est, cujus subditi ad omnem necessitatem abundant.

Ut suum ex agris possessionibusque subditorum Principi tributum obveniat, priscæ & à Christo ipsomet probatæ observationis ratio postulat: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo.* a Quod

a *Matth.* 22. *v.* 21.

Quod Apostolus Romanis etiam imperat: *Reddite*, ait, *omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. b* Aliquod igitur tributum, tum ad supremam Principis, aut Magistratus jurisdictionem potestatemque agnoscendam, tum ad necessariam sustentationem requiritur; quòd is qui servit Reip. ab illa jure alendus sit. Et hoc quale quantumque sit, ab antiqua retrò consuetudine est repetendum: quâ tributorum modus, velut in pactum certosque limites traductus est, qui citra novam necessitatem Regno aut Reip: incumbentem, temerè non est convellendus. Quare tributa augeri non possunt, nisi manifesta, vel necessitas, vel utilitas Reip. hoc exigat. Quæ quidem communis est Theologorum & Jurisperitorum sententia, docentium esse iniquos, atque ad restitutionem obligari quotquot tributa sine justis hisce causis exegerint. Nam si aliter fiat, ait Navarrus, *c tunc necessitas publica assumitur pro forma, reipsa verò fraus est, & rapina, pauperumque oppressio.* Quin etiam præter obligationem restituendi incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, Navarro eodem interprete *d* Qui-

b *Rom.* 13.

c *Lib.* 3. *c.* 1. *num.* 255.

cunque igitur hac via ad opes contendunt, Deo hominibusque se reddunt execrabiles, neque divites censendi sunt, cum aliena, non sua possideant, tenenturque ex status suscepti conditione, aut tributis sibi jure debitis, tantùm remittere, quantum ex indebitis per injuriam collectum est. Qua de re Laymannum licebit consulere. e

Porrò hic diligenter iste scopulus offensionis est declinandus, quo nonnulli tributa per necessitatem quondam imperata atque impetrata, hâc lapsu temporum sublatâ, tributorum tamen onus non auferunt. Cessante enim causa subditorum cessat ad tributum obligatio, & iniquum esse incipit, quidquid hoc titulo poscitur. Quod expendere illos æquum est, qui innumeris sensim exactionum artibus, huc regnorum ac rerump. census provexêre, ut quorundam populorum Principes, jam decuplum ex proventibus colligere deprehendantur, unde simplex Majoribus tributum proveniebat. Quantum dedecus projectorum ad extremam avaritiam Christianorum, quâ jam barbarorum potius, quam gloriosa Majorum suorum vestigia sectari videntur.

Repete

d *cap. 17. n. 61.*
e *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 3.*

Repetere veterem Deus querelam poterit, *populum meum exactores sui spoliaverunt.* f *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete: Principes ejus in muneribus judicabant. & Sacerdotes ejus in mercede docebant.* Quis porrò exitus? *Propter hoc Ierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.* g Hoc eventu hæc plerumque tyrannis absolvitur. Principum & Magistratuum immani avaritiâ, subditorum murmure ac rebellione, aut in Deum hominesque perfidiâ, justa divinæ indignationis vindicta accersitur, perque immissa bellorum externorumq; tyrannorum flagella, omnia in vastitatem, & servitutem quandoque perpetuam rediguntur.

Multæ gentes suorum dominorum juga excutiunt, nec tyrannidem evadunt quidem, sed tantùm mutant. cum externos plerumque raptores non humanitas, sed cupiditas accersat. Hæc igitur manifesta imperantium stultitia est, quæ dum hac via ad opulentiam connititur, se suosque ad extremam sæpe indigentiam præcipitat, & quas crudeliter investigat opes, quærendo

Q 5 amit-

f *Isai.* 3. *v.* 12.
g *Mich.* 3. *v.* 3. & 11.

amittit. Roboamus Salomonis filius postquam degeneris avarique in senio patris vestigia premeret, in Regum historia pro exemplo nobis relictus est. Hunc supplex Israelis multitudo his vocibus convenit: *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululùm de imperio patris durissimo, & serviemus tibi.* Quibus ferox insolensque potentia juvenis respondit, *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cadam vos scorpionibus.* Verùm quo eventu cognosce. *Misit Rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidavit eum omnis Israel, & mortuus est. Porrò Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitque Israel à domo David usque in præsentem diem* h En quàm insignis Roboami fortuna, quantæ opes momento eversæ sunt, dum improbo illæ studio congeruntur. Ex quibus manifestum est, nihil consultius ad stabiles duraturasque opes colligendas regentibus esse, quàm ejusmodi adhibere in publicis exactionibus moderationem, quâ & imperantium necessitati, & subditorum felicitati consulatur. Ita fortissimum munimentum reip. amorem Princeps suorum; & facultates quoque in repentina necessitate non defuturas obtine-

bi

h 3. *Reg.* 12.

bit: omnium ipse tantò facilior possessor, quantò plures secum patitur possidere.

Unum vero in tributis exigendis Principi Magistratuique cuilibet, ad ingentes divitias, magnopere est profuturum, si huc curam omnem vertant, ne per multas inexpertæque fidei hominum manus hæ pecuniæ in ærarium transferantur. Viscosa res pecunia est, facilè adhærescit. Nemo sibi in hoc aucupio non favet. Raro, nisi cautus sis, media tributorum pars regiæ, aut publicæ gazæ adnumeratur. Neque longè petenda ex historiis veterum exempla sunt, quādo illa quæ superioribus annis Thoma Aniello piscatore duce, in Neapolitana vrbe seditio nata est, luculento testimonio sufficere poterit, siquidem vera sunt, quæ memorat illius descriptor Majolinus Comes, a ,Vix fides, ait, dicto erit, & res tamen ipsa ,extra omne veri dubium est, sub Montereij ,& Medinæ haud multorum annorum imperio, plures centum millionibus ex regni ,tributis & vectigalibus regio ærario illa- ,tos: nomine id quidem adumbrato in spe- ,ciem: nam reapse, vix quinta pars in Regis ,ac regni utilitatem cedebat: depensoque ,uno millione, qui mille millium summam ,efficit, ægrè ducenta millia ducatorum in

Regis

a *In sedit. Neapol. Mihi p.* 31.

,Regis ac reip. usum absumebantur, reliquis ,octingentis millibus per ministrorũ fraudem interversis. Cùm miseris tamen popularibus millio unus dimidio pluris constaret, ob gravem & iniquissimum pecuniæ ,exigendæ modum. Quia ei qui vectigalia ,exercebant, ut arcta in re pecuniaria, debitori vincula & carcerem, nisi stata die solvisset, subituro, tempus prorogarent, donis ,prope non minoribus debito ipso, placandi ,erant. Exspectas quis denique eventus hujus rei fuerit? Planè funestus avaris hisce exactoribus. Nam Thomas Massaniellus (Anjellum brevius dicunt) dux à plebe delectus, à reti piscatorio ad gladium sclopũque versus, tam insigni populum (supra centum collectum millia) solertiâ, ordine, imperio inter arma moderatus est; ut omnes, velut unum hominem, ad atrocissima etiam obsequia, dicto nutuque unico converteret. Hos ille in classes officiaque, militari distributos more, tanquam veteranus bellator, qui militem nunquam egerat, noctu diuque ad quodvis imperium circumagebat. Per hos præcipua in urbe nobilitas, & quotquot tributis vectigalibusque colligendis operam dederant, funditus cum suis excisi domibus sunt: nec cuiquam parcitũ, qui ex his lucrum reportasse crederetur,

Qua

Qua in re illud Anielli decretum memorabile: ne quisquam sub pœna capitis quippiam ex illorum bonis contrectaret, sed universa subjectis ignibus consumerentur. Quæ lex sanctissimè observata, immensas brevi opes sub cineribus tumulavit. Ita nullius avarè cupidus videri voluit, cum aliorum cupiditatem castigaret, adeò quidem, ut in summa imperandi potestate sibi vendicata, quâ regni Neapolitani proceribus, ipsisque Romanis Cardinalibus metuendus erat, vestem aliam, quàm piscatoriam constanter non sumpserit. Interea verò potentiorum opes, magis in manu, seu arbitrio unius Anielli, quàm suorum essent Dominorum. Quod tum etiam ostendit, quando cum Arcosio Prorege ea lege conciliatus est, ut Neapolitani libertate à Carolo V. concessa fruerentur: ac deinde ultronea oblatione, quinque se millionum donativum Regi Hispaniarum oblaturum brevi asseruit, qui nihil præter casam piscatoriam, ex qua jura vrbi dabat, possidere visus est. Et verò magna jam æris vi, vel ex ruderibus exustarum domuum collecta, vel truculento in quosvis imperio congesta, fidem implesset, nisi barbara & insana crudelitate, suis quoque invisus civibus, vitam, à quodam familiarium trajectus, amisisset. Tam fune-

funeſtos eventus, vaſtitatemque in florentiſſimis etiam rebus p. immodica procerum cupiditas conciliat. Nec majori ferè exitio profligantur opes, quàm cum immoderatè quæruntur. *Malè parta, malè dilabuntur.* Et *nihil immoderatum diuturnum eſt.* Ante omnia igitur, & æquitatis, & circumſpectæ moderationis in tributis, vel imperandis, vel exigendis ratio habenda eſt illi, quiſquis per hæc ad ſolidas conſtanteſque opes volet proficere.

Sapientiſſimus Rex Salomon, in flore regni ætatiſque exemplum omnibus remp. adminiſtrantibus dedit, facilè, ac ſine ſcelere divitias cumulandi. Solicitè hic agros hortoſque regios excolebat, unde ad ipſum totamque familiam ſuſtentandam ingens manabat copia. *Ædificavi*, ait, *a mihi domos, & plantavi vineas, & feci hortos, & pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſilvam lignorum germinantium, poſſedi ſervos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Expeditior illa Principibus ad honeſtam opulentiam via eſt, quàm alienis omnia oculis, curis, manibuſque credere; molli-

a *Eccle.* 2. *v.* 4.

mollique inter hæc otio, aut solis, ad fallendum tempus, venationibus indulgere. Armentorum, sive equorum ista sint, seu boum etiam, educatio possessioque locuples magnum viro principi adfert emolumentum. Illa vecturis, equitationi, militiæ: hæc cum minoribus gregibus, alendæ familiæ, citra pecuniarum expensas serviunt. Vina cum abundè provenerunt, facilè cum pecunia permutantur. Vt & frumentorum copia, ad quævis alia comparanda perquam idonea est. Ita Rex *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.* *b* Hac industriâ permutandi res suas regna & resp. magnopere ad opulentiam proficiunt, aluntque mutuam in fide & pace amicitiam. Neque soli agrorum fructus, verùm & salis, æris, lapidumque fodinæ diligenti inquisitæ, custoditæque studio, ad opes cumulandas momentum adferunt. Hinc enim sine magnâ invidiâ atque ab omni remotiores flagitio, poterunt ditescere.

Curæ etiam Salomoni fuit, ut mercimonia suo in regno florerent, quod pace cum vicinis constituta Regibus, & sibi & regno

b 3. *Reg.* 5. v. 11.

regno universo opes immensas attulit. *Classu* enim *Regu per mare, cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & simias, & pavos. Magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes Reges terræ divitiis & sapientia.* c Nulla ad parandas opes via planior expeditiorque, quàm florentem in suas vrbes provinciasque mercaturam traducere. Quod ut Princeps, vel Magistratus præstet; tributis vectigaliumque oneribus nimium cives, mercesque gravandæ non sunt: quibus, & exteri arcentur, & incolæ à negotiatione revocantur: dum sibi solum laborem, aliis emolumentum relinqui animadvertunt. Tyri (Phœnicum vrbis) ab opulentia petita descriptio, solâ penè negotiationis varietate per Ezechielem extollitur. *Tu,* inquit, d *Tyre, dixisti: perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* sed quæ causa? *Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Carthaginienses negotiatores tui, à multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas. De domo Thogorma, equos, & equites, & mulos advexerunt ad forum tuum. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum*

c 3. Reg. 10. v. 11. d Ezech. 27.

rum gemmas, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo, Iuda & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo balsamum & mel & oleum & resinam proposuerunt in nundinis tuis, &c. Ab his aliisque mercimoniis opulentam, felicemque Tyrum Propheta deprædicat. Ex quo fonte maximæ ad Tyri Principem opes manarunt: ut ad miraculũ cum deinde extollat. *Omnis* ait, *lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, & beryllus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus, & aurum, opus decoris tui.* e Verùm quid sacrarum literarũ testimoniis operosè nitimur, quando res exemplis hodiedum testatissima est: illic ubi maximè vrget negotiatio florentissimas ab opibus esse respub. Quocirca omni huc arte connitendum est reip. Procerib. ut æquitate, communi tueantur omnes, humanitate ac liberalitate foveant, neque ad privatum commodum derivare à plebe ad se lucra negotiantium pleraque conentur. Ita enim deficiet ipse potius, quàm in opibus proficiet, aliò negotiatores avertet, rebusque suis, dum avare nimium studet, inconsulte oberit. *Qui nimium emungit, elicit sanguinem.* f

Caven-

e *Ezech*, 28. v. 13. f *Prov.* 30.

Cavendum verò Principibus regnorum & rerump. ne in ædificia non necessaria; ut in arces, palatia, exquisitum aularum, domuum, hortorumque apparatum opes, reip. defendendæ aut conservandæ necessarias, male collocent: in venationes, spectacula, hortos, recreationes, musicam, mensarum delicias, aliaque corporis tantùm sui oblectamenta convertant, quæ publico salutis bono, aut multorum ex subditis indigentiæ sublevandæ deberentur. Et ne ita vivant, ut, qui subditorum gratiâ præpositi sunt, non tam se subjecto populo, quàm hunc, eorumque possessiones sibi esse impendendas existimet. *Væ*, inquit Isaias, *a qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Alii penè & sine tecto & indumento; vos tecti marmore, gemmis & auro cooperti: alii vix mucido panis frusto satiandi; vos escarum deliciis ad vomitum suffarti: alii vix in fœno & stramine; vos in serico & olorum plumis quiescitis. *Leo rugiens, & ursus esuriens Princeps impius super populum pauperem b* Credite, si non mihi, saltem æternæ veritati, ita congestæ, & male digestæ opes fallunt

a *Isa.* 5. *v.* 8. b *Prov.* 28. *v.* 15.

ſallunt. Nam infelix hæc optimatum *generatio eſt, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes de hominibus.* *Sangviſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, affer, affer.* c Nunquam illæ ita implentur, quin brevi exhauſtæ, pari ingluvie ſuum *affer* repetant. Salomoni, ubi ad luxum verſus eſt, nullum ſuffecit aurum, licet unica navigatione (quæ per triennia repetebatur) ex Ophir quadringenta auri talenta colligeret, d Ipſum cœpit populum tributis premere, mox ſub filio defecturum. Henricus VIII. Angliæ Rex, immani luxuria avaritiâque, poſt exhauſtum Regis ærarium, ad ingentia tributorum verſus onera, & quod nec iſta ſufficerent, Eccleſiaſticas poſſeſſiones involavit, tantâque cum adminiſtris cupiditatis regiæ licentiâ in illas graſſatus eſt, ut ſublatis bonis decem templorum millia uno anno, hæreſi famulante, ſubverterit. Unde notiſſimus verſus e

Millia dena unus templorum ſuſtulit annus.

Et tamen in magna regii ærari inopia defunctus eſt. Mira, ſed comperta frequentibus exemplis res: *alii dividunt propria & ditio-*

c *Prov.* 30. *v* 14. d 3. *Reg.* 9. e *Bez. de ſignis Eccl. l.* 22.

cunque igitur hac via ad opes contendunt, Deo hominibusque se reddunt execrabiles, neque divites censendi sunt, cum aliena, non sua possideant, tenenturque ex status suscepti conditione, aut tributis sibi jure debitis, tantùm remittere, quantum ex indebitis per injuriam collectum est. Qua de re Laymannum licebit consulere. e

Porrò hic diligenter iste scopulus offensionis est declinandus, quo nonnulli tributa per necessitatem quondam imperata atque impetrata, hâc lapsu temporum sublatâ, tributorum tamen onus non auferunt. Cessante enim causa subditorum cessat ad tributum obligatio, & iniquum esse incipit, quidquid hoc titulo poscitur. Quod expendere illos æquum est, qui innumeris sensim exactionum artibus, huc regnorum ac rerump. census provexêre, ut quorundam populorum Principes, jam decuplum ex proventibus colligere deprehendantur, unde simplex Majoribus tributum proveniebat. Quantum dedecus projectorum ad extremam avaritiam Christianorum, quâ jam barbarorum potius, quam gloriosa Majorum suorum vestigia sectari videntur.

Repetere

d *cap.* 27. *n.* 61.
e *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 3.

Repetere veterem Deus querelam poterit, *populum meum exactores sui spoliaverunt.* f *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete: Principes ejus in muneribus judicabant. & Sacerdotes ejus in mercede docebant.* Quis porrò exitus? *Propter hoc Ierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.* g Hoc eventu hæc plerumque tyrannis absolvitur. Principum & Magistratuum immani avaritiâ, subditorum murmure ac rebellione, aut in Deum hominesque perfidiâ, justa divinæ indignationis vindicta accersitur, perque immissa bellorum externorumq; tyrannorum flagella, omnia in vastitatem, & servitutem quandoque perpetuam rediguntur.

Multæ gentes suorum dominorum juga excutiunt, nec tyrannidem evadunt quidem, sed tantùm mutant. cum externos plerumque raptores non humanitas, sed cupiditas accersat. Hæc igitur manifesta imperantium stultitia est, quæ dum hac via ad opulentiam connititur, se suosque ad extremam sæpe indigentiam præcipitat, & quas crudeliter investigat opes, quærendo

f *Isai. 3. v. 12.*
g *Mich. 3. v. 3. & 11.*

amittit. Roboamus Salomonis filius postquam degeneris avarique in senio patris vestigia premeret, in Regum historia pro exemplo nobis relictus est. Hunc supplex Israelis multitudo his vocibus convenit: *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris durissimo, & serviemus tibi.* Quibus ferox insolensque potentia juvenis respondit, *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cadam vos scorpionibus.* Verùm quo eventu cognosce. *Misit Rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidavit eum omnis Israel, & mortuus est. Porrò Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitque Israel à domo David usque in præsentem diem* h En quàm insignis Roboami fortuna, quantæ opes momento eversæ sunt, dum improbo illæ studio congeruntur. Ex quibus manifestum est, nihil consultius ad stabiles duraturasque opes colligendas regentibus esse, quàm ejusmodi adhibere in publicis exactionibus moderationem, quâ & imperantium necessitati, & subditorum felicitati consulatur. Ita fortissimum munimentum reip. amorem Princeps suorum; & facultates quoque in repentina necessitate non defuturas obtinebit

h 3. *Reg.* 12.

bit: omnium ipse tantò facilior possessor, quantò plures secum patitur possidere.

Unum vero in tributis exigendis Principi Magistratuique cuilibet, ad ingentes divitias, magnopere est profuturum, si huc curam omnem vertant, ne per multas inexpertæque fidei hominum manus hæ pecuniæ in ærarium transferantur. Viscosa res pecunia est, facilè adhærescit. Nemo sibi in hoc aucupio non favet. Rarò, nisi cautus sis, media tributorum pars regiæ, aut publicæ gazæ adnumeratur. Neque longè petenda ex historiis veterum exempla sunt, quādo illa quæ superioribus annis Thoma Aniello piscatore duce, in Neapolitana vrbe seditio nata est, luculento testimonio sufficere poterit, siquidem vera sunt, quæ memorat illius descriptor Majolinus Comes, a

„Vix fides, ait, dicto erit, & res tamen ipsa „extra omne veri dubium est, sub Montereij „& Medinæ haud multorum annorum im-„perio, plures centum millionibus ex regni „tributis & vectigalibus regio ærario illa-„tos: nomine id quidem adumbrato in spe-„ciem: nam reapse, vix quinta pars in Regis „ac regni utilitatem cedebat: depensoque „uno millione, qui mille millium summam „efficit, ægrè ducenta millia ducatorum in

Regis

a In sedit. Neapol. Mihi p. 31.

„Regis ac reip. uſum abſumebantur, reliquis „octingentis millibus per miniſtrorū fraudem interverſis. Cùm miſeris tamen popularibus millio unus dimidio pluris conſtaret, ob gravem & iniquiſſimum pecuniæ „exigendæ modum. Quia ei qui vectigalia „exercebant, ut arcta in re pecuniaria, debitori vincula & carcerem, niſi ſtata die ſolviſſet, ſubituro, tempus prorogarent, donis „prope non minoribus debito ipſo, placandi „erant. Exſpectas quis denique eventus hujus rei fuerit? Planè funeſtus avaris hiſce exactoribus. Nam Thomas Maſſaniellus (Anjellum brevius dicunt) dux à plebe delectus, à reti piſcatorio ad gladium ſclopūque verſus, tam inſigni populum (ſupra centum collectum millia) ſolertiâ, ordine, imperio inter arma moderatus eſt; ut omnes, velut unum hominem, ad atrociſſima etiam obſequia, dicto nutuque unico converteret. Hos ille in claſſes officiaque, militari diſtributos more, tanquam veteranus bellator, qui militem nunquam egerat, noctu diuque ad quodvis imperium circumagebat. Per hos præcipua in urbe nobilitas, & quotquot tributis vectigalibuſque colligendis operam dederant, funditus cum ſuis exciſi domibus ſunt: nec cuiquam parcitū, qui ex his lucrum reportaſſe crederetur,

Qua

Qua in re illud Anielli decretum memorabile: ne quisquam sub pœna capitis quippiam ex illorum bonis contrectaret, sed universa subjectis ignibus consumerentur. Quæ lex sanctissimè observata, immensas brevi opes sub cineribus tumulavit. Ita nullius avarè cupidus videri voluit, cum aliorum cupiditatem castigaret, adeò quidem, ut in summa imperandi potestate sibi vendicata, quâ regni Neapolitani proceribus, ipsisque Romanis Cardinalibus metuendus erat, vestem aliam, quàm piscatoriam constanter non sumpserit. Interea verò potentiorum opes, magis in manu, seu arbitrio unius Anielli, quàm suorum essent Dominorum. Quod tum etiam ostendit, quando cum Arcosio Prorege ea lege conciliatus est, ut Neapolitani libertate à Carolo V. concessa fruerentur: ac deinde ultronea oblatione, quinque se millionum donativum Regi Hispaniarum oblaturum brevi asseruit, qui nihil præter casam piscatoriam, ex qua jura vrbi dabat, possidere visus est. Et verò magna jam æris vi, vel ex ruderibus exustarum domuum collecta, vel truculento in quosvis imperio congesta, fidem implesset, nisi barbara & insana crudelitate, suis quoque invisus civibus, vitam, à quodam familiarium trajectus, amisisset. Tam fune-

funestos eventus, vastitatemque in florentissimis etiam rebus p. immodica procerum cupiditas conciliat. Nec majori ferè exitio profligantur opes, quàm cum immoderatè quæruntur. *Malè parta, malè dilabuntur*. Et *nihil immoderatum diuturnum est*. Ante omnia igitur, & æquitatis, & circumspectæ moderationis in tributis, vel imperandis, vel exigendis ratio habenda est illi, quisquis per hæc ad solidas constantesque opes volet proficere.

Sapientissimus Rex Salomon, in flore regni ætatisque exemplum omnibus remp. administrantibus dedit, facilè, ac sine scelere divitias cumulandi. Solicitè hic agros hortosque regios excolebat, unde ad ipsum totamque familiam sustentandam ingens manabat copia. *Ædificavi*, ait, a *mihi domos, & plantavi vineas, & feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium, possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem*. Expeditior illa Principibus ad honestam opulentiam via est, quàm alienis omnia oculis, curis, manibusque credere; molli-

a *Eccle*. 2. v. 4.

mollique inter hæc otio, aut solis, ad fallendum tempus, venationibus indulgere. Armentorum, sive equorum ista sint, seu boum etiam, educatio possessioque locuples magnum viro principi adfert emolumentum. Illa vecturis, equitationi, militiæ: hæc cum minoribus gregibus, alendæ familiæ, citra pecuniarum expensas serviunt. Vina cum abundè provenerunt, facilè cum pecunia permutantur. Vt & frumentorum copia, ad quævis alia comparanda perquam idonea est. Ita Rex *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.* b Hac industriâ permutandi res suas regna & resp. magnopere ad opulentiam proficiunt, aluntque mutuam in fide & pace amicitiam. Neque soli agrorum fructus, verùm & salis, æris, lapidumque fodinæ diligenti inquisitæ, custoditæque studio, ad opes cumulandas momentum adferunt. Hinc enim sine magnâ invidiâ atque ab omni remotiores flagitio, poterunt ditescere.

Curæ etiam Salomoni fuit, ut mercimonia suo in regno florerent, quod pace cum vicinis constituta Regibus, & sibi & regno

b 3. *Reg.* 5. v. 11.

regno universo opes immensas attulit. *Classu* enim *Regu per mare, cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & simias, & pavos. Magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes Reges terra divitiis & sapientia.* c Nulla ad parandas opes via planior expeditiorque, quàm florentem in suas vrbes provinciasque mercaturam traducere. Quod ut Princeps, vel Magistratus præstet; tributis vectigaliumque oneribus nimium cives, mercesque gravandæ non sunt: quibus, & exteri arceantur, & incolæ à negotiatione revocantur: dum sibi solum laborem, aliis emolumentum relinqui animadvertunt. Tyri (Phœnicum vrbis) ab opulentia petita descriptio, solà penè negotiationis varietate per Ezechielem extollitur. *Tu*, inquit, *d Tyre, dixisti: perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* sed quæ causa? *Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Carthaginienses negotiatores tui, à multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas. De domo Thogorma, equos, & equites, & mulos advexerunt ad forum tuum. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum*

c 3. Reg. 10. v. 11. d Ezech. 27.

rum gemmas, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo, Iuda & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo balsamum & mel & oleum & resinam proposuerunt in nundinis tuis, &c. Ab his aliisque mercimoniis opulentam, felicemque Tyrum Propheta deprædicat. Ex quo fonte maximæ ad Tyri Principem opes manarunt: ut ad miraculũ cum deinde extollat. *Omnis* ait, *lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, & beryllus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus, & aurum, opus decoris tui.* e Verùm quid sacrarum literarũ testimoniis operosè nitimur, quando res exemplis hodiedum testatissima est: illic ubi maximè vrget negotiatio florentissimas ab opibus esse respub. Quocirca omni huc arte connitendum est reip. Procerib. ut æquitate, communi tueantur omnes, humanitate ac liberalitate foveant, neque ad privatum commodum derivare à plebe ad se lucra negotiantium pleraque conentur. Ita enim deficiet ipse potius, quàm in opibus proficiet, aliò negotiatores avertet, rebusque suis, dum avare nimium studet, inconsulte oberit. *Qui nimium emungit, elicit sanguinem.* f

Caven-

e *Ezech*, 28. *v*. 13. f *Prov*. 30.

Cavendum verò Principibus regnorum & rerump. ne in ædificia non necessaria, ut in arces, palatia, exquisitum aularum, domuum, hortorumque apparatum opes, reip. defendendæ aut conservandæ necessarias, male collocent: in venationes, spectacula, hortos, recreationes, musicam, mensarum delicias, aliaque corporis tantùm sui oblectamenta convertant, quæ publico salutis bono, aut multorum ex subditis indigentiæ sublevandæ deberentur. Et ne ita vivant, ut, qui subditorum gratiâ præpositi sunt, non tam se subjecto populo, quàm hunc, eorumque possessiones sibi esse impendendas existimet. *Va*, inquit Isaias, *a qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terra?* Alii penè & sine tecto & indumento; vos tecti marmore, gemmis & auro cooperti: alii vix mucido panis frusto satiandi; vos escarum deliciis ad vomitum suffarti: alii vix in fœno & stramine; vos in serico & olorum plumis quiescitis. *Leo rugiens, & ursus esuriens Princeps impius super populum pauperem b* Credite, si non mihi, saltem æternæ veritati, ita congestæ, & male digestæ opes fallunt

a *Isa.* 5. *v.* 8, b *Prov.* 28. *v.* 15.

fallunt. Nam infelix hæc optimatum *generatio est, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes de hominibus. Sangvisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, affer, affer.* c Nunquam illæ ita implentur, quin brevi exhaustæ, pari ingluvie suum *affer* repetant. Salomoni, ubi ad luxum versus est, nullum suffecit aurum, licet unica navigatione (quæ per triennia repetebatur) ex Ophir quadringenta auri talenta colligeret, d Ipsum cœpit populum tributis premere, mox sub filio defecturum. Henricus VIII. Angliæ Rex, immani luxuria avaritiâque, post exhaustum Regis ærarium, ad ingentia tributorum versus onera, & quod nec ista sufficerent, Ecclesiasticas possessiones involavit, tantâque cum administris cupiditatis regiæ licentiâ in illas grassatus est, ut sublatis bonis, decem templorum millia uno anno, hæresi famulante, subverterit. Unde notissimus versus e

Millia dena unus templorum sustulit annus.

Et tamen in magna regii ærari inopia defunctus est. Mira, sed comperta frequentibus exemplis res: *alii dividunt propria & ditio-*

c *Prov.* 30. *v* 14. d 3. *Reg.* 9. e *Boz. de signis Eccl. l.* 22.

EPILOGUS
Ad Lectorem,

QUod initio faciendum, ut meum Lectori aperirem, ex more, consilium, & velut prælibatione quadam totius operis, legendi provocarem appetitum, hoc in fine nunc laboris mei præsto & si placuerit Lectio ad quendam ex potioribus delectum instituendum revoco; ne quæ suo invenerit statui ætatique opportuna, facili decursu prætereat, sed cognita ad vitam moresque transfundat. Neque enim tam multa legere consultum, quàm seligere in usum pauca, & ita mentem cognitione imbuere, ut affectu potius meliores, quàm ingenio simus. Illi pauca validisque intorta rationibus sufficiunt, huic ingentes librorum moles semper impares futuræ sunt.

Equidem dedi operam ut persuaderem; Frustra tamen sum, nisi & suam huic Lector operam adjunxerit, quæque ex divino S. Literarum Testimonio adeò disertè accepit, his fidem præstet, Deoque, abstractam à rebus perituris, impendat fiduciam. Illud solum unicumque fundamentum est, cui tutò, in divitiis hujus mundi, & ad satietatem quidem, cumulandis, innitimur. qui in alio ædificat, in arena se fundat.

Ceterum

Ceterum & sacris Oratoribus hic perquam idoneā pro concione subjeci materiam, quæ ut auditoribus grata, ita perquam utilis ad multorum instructionem futura est. Cùm enim plerique mortalium, adeò cæca habēdi cupiditate ad opes rapiantur, ut legem hanc rationemque certissimam assequendi quod optant, erecto ad Deum animo, penetrare satis nequeant. Ab illa tam præpostera ad divitias via, ad hanc longè securiorem amœnioremque omni conatu traducendi sunt. Quam ubi felicibus auspiciis ingressi fuerint, prona ad omnem pietatem virtutemq; his omnia futura sunt: & infelix illud omen Christi de seculi divitibus evadent, quod facilius sit camelum per foramen acus, quàm opulentos cœlum penetrare. Inveniet verò, & Lector, & Orator, per diversa totius anni Evangelia hanc doctrinam spargi, ut unius quadrantem anni, facilè his lectionibus impleturus sit. Quarum fortè Catalogum, cum Thure & Myrrha Sapientum (si Deus vitam, tempusque dederit) ita exhibebo, ut annuum his concionum per Dominicas circulum impleam. Interea hæc æqui bonique, seu Lector, seu Auditor consulat, atque ad suam aliorumque salutem, tum æternam divini nominis gloriam convertat.

Ad

Ad aureæ artis Studiosum.

EN Tibi sub parvo *thesaurum* cortice libri,
Si modo præceptis erudiare datis.
Ut plenis abeat loculꝰ hinc plurimus, opto:
Sitque capax artis, non sine fruge, meæ.
Sed vereor, ne quis Æsopica fabula ludat,
Et veri oblitos corporis, umbra trahat.
Defossum latet hîc solis *Sapientibus* Aurum:
At *Stultis* numero nunc potiore vigent.
Nemo tamen Stultus, Sapiens vult quisque videri.
Sis tantum, & nostrâ proderit arte labor.
Si quid defuerit, nec opum potiaris abundè:
Non meus ille quidem, sed tuus error erit.

F I N I S.